SYNTHESIS THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

SEU

CONSPECTUS OBIECTORUM APOLOGETICAE SCIENTIFICAE SECUNDUM DEPENDENTIAM A SUBIECTO THEOLOGIAE ET SECUNDUM ORDINATIONEM SYSTEMATICAM EORUM INTER SE PER RECTAM RATIONEM COGNOSCENDI

In usum studentium ad gradus academicos adspirantium composuit

Fr. ALEXANDER M. HORVÁTH O. P.

S. THEOL. MAGISTER,

IN UNIVERSITATE PAZMANIANA BUDAPESTINENSI PROFESSOR ORDINARIUS

BUDAPESTINI

TYPIS SOCIETATIS SANCTI STEPHANI

SYNTHESIS THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS

SEU

CONSPECTUS OBIECTORUM APOLOGETICAE SCIENTIFICAE SECUNDUM DEPENDENTIAM A SUBIECTO THEOLOGIAE ET SECUNDUM ORDINATIONEM SYSTEMATICAM EORUM INTER SE PER RECTAM RATIONEM COGNOSCENDI

In usum studentium ad gradus academicos adspirantium composuit

Fr. ALEXANDER M. HORVÁTH O. P.

S. THEOL. MAGISTER,

IN UNIVERSITATE PAZMANIANA BUDAPESTINENSI PROFESSOR ORDINARIUS

BUDAPESTINI

TYPIS SOCIETATIS SANCTI STEPHANI

Nihil obstat. *Fr. Dominicus M. Rátnik* O. P. S. Theol. Lect., libr. censor. *Fr. Edmundus M. Pranther* O. P. S. Theol. Lect., libr. censor. Imprimi potest. Budapestini, die 15 Nov. 1947. *Fr. Ludovicus Implom* O. P. Prior. Prov.

Nihil obstat. Dr. *Franciscus Ibrányi* m. p., censor dioecesanus. Nr. 7720/1947. Imprimatur Strigonii, die 11. Nov. a. 1947. Dr. *Joannes Drahos* m. p. Vicarius generalis.

Kiadásért felelős: Dr. Horváth Sándor O. P.
Stephaneum nyomda Budapest. Felelős: Ketskés János.

INDEX.[1]

Introductio ..... 5—34

I. Axiologia generalis.

1. De religione ..... 39—43
2. De notione ordinis supernaturalis deque eius existentia ..... 44—52
3. De possibilitate manifestationis ordinis supernaturalis per revelationem 53—55
4. De motivis credibilitatis et credenditatis ..... 56—60

Appendix ..... 61—84

1. De instinctu religioso ..... 63—67
2. Tabellae ..... 68—84

II. Axiologia specialis.

1. De lumine intellectuali ..... 87—93
2. De prophetia ..... 94—100
3. De inspiratione et de assistentia ..... 101—104
4. De fide ..... 105—138

III. Horistica generalis.

1. De oeconomia salutis generis humani ..... 139—145
2. De coniunctione organorum revelationis cum Deo ..... 146—162
   a) De organis seu de instrumento in generali ..... 146—147
   b) De immediata locutione Dei in revelatione ..... 148—154
   c) De subordinatione organorum revelationis ad Deum ..... 154—157
   d) De ordinatione organorum revelationis inter se ..... 157—159
3. De existentia revelationis ..... 163—166
4. De motivis credibilitatis in Christum ..... 167—174

IV. Horistica specialis.

1. Introductio ..... 177—180
2. Ratio connexionis tractatuum de Ecclesia ..... 181—194

V. Conclusio totius operis ..... 195—198

VI. Synopsis tractatuum et quaestionum ..... 199—208

Abbreviationes operum Auctoris in notis.

1. Hitv.: Hitvédelmi tanulmányok.
2. Ism.: Ismereteink egyneműsége és a hittételek.
3. Örök.: Örök eszmék és eszmei magvak Szent Tamásnál.
4. Sint.: La sintesi scientifica di San Tommaso d'Aquino.
5. Thom.: Der thomistische Gottesbegriff.
6. Heilig: Heiligkeit und Sünde.

[1] Cum in fine operis completa detur synopsis tractatuum et quaestionum ad Apologeticam pertinentium, hic solum summarie assignantur obiecta tractata. Expositio quaestionum in hoc libro sequitur ordinem in Synopsi assignatum.

TABELLAE.

1. I—V. Obiecta Apologeticae ..... 20 et 29— 33
2. Appetitus ..... 64—66
3. Naturale 69
4. De possibilitate 70
5. De supernaturali IV—VII. ..... 71— 73
6. Actio Divina 73
7. Divisio miraculi 74
8. De mysterio X—XIII. ..... 74— 80
9. De revelatione ..... 80 et 97
10. De motivis credibilitatis XV—XVI. ..... 81— 83
11. De Liberalismo 84
12. De inspiratione 93
13. Obiecta prophetiae 96
14. Divisio prophetiae 100
15. Obiectum fidei 110
16. Tractatus de fide 107
17. Veritas obiecti fidei 114
18. Relatio inter naturam et mysteria 123
19. Iustificatio missionis Christi ..... post p. 140
20. De causa I—III. ..... 160—161
21. De instrumento IV—V. ..... 161—162
22. Naturalismus 174
23. De persona Christi ..... post p. 174
24. Tractatus de Ecclesia 183
25. Proprietates Ecclesiae 194

INTRODUCTIO.

I. DE SUBIECTO SCIENTIAE ATQUE DE MODO CONSTRUENDI IPSUM. NUM. 1—11. 7

II. DE CONSTRUCTIONE SUBIECTI THEOLOGIAE. NUM. 12—18. 15

III. DE IUSTIFICATIONE ET DEFENSIONE SUBIECTI THEOLOGIAE IN APOLOGETICA. NUM. 19—25. 18

IV. DE LOCO ET DIGNITATE APOLOGETICAE INTER DISCIPLINAS THEOLOGICAS. NUM. 26—35. 21

V. DE OBIECTIS IN APOLOGETICA TRACTANDIS. NUM. 36—48 ET TABELLAE I—V. 25

I. De subiecto scientiae atque de modo construendi ipsum.[1]

1. Finis huius opusculi ex titulo clare apparet. Auctor non intendit conscribere librum quemdam manualem aut systematicas praelectiones, bene tamen *systema, seu rectam rationem praelectionum.* Dissensiones circa quidditatem Apologeticae omnibus notae sunt. Huius namque disciplinae cultoribus valde difficile et quasi impossibile apparebat characterem scientificum, praesertim theologicum, ipsius defendere, obiectaque tractata in unitatem systematicam reducere. Dereliquerunt enim fontes sapientiae, qui undas vivificas per S. Thomam effuderunt et adduxerunt ad cultores Sacrae doctrinae. *S. Thomas cognoscit subiectum scientiarum, quod alii ignorant vel parvipendunt,* vivisectionem quandam obiectorum conficiendo, principium uniens et vivificans extirpant. Obiecta materialiter distincta in unitatem redigi non possunt, nisi per aliquod commune principium, quod est ratio cognoscendi eorum, in quo continentur et a quo formalem rationem cognoscibilitatis participant. Obiectum formale quo scientiae, prout communiter tradi solet, est quid inintelligibile, vel potius infructuosum. Asseritur tamquam forma cognoscibilium, sed ad quod genus entis pertineat, vel quomodo influxum formativum exerceat, ignoratur. Tamquam aliquid abstractum apparet, quod magis ad torquendam, quam ad fovendam atque instruendam mentem aptum esse videtur. Notio obiecti formalis quo retinenda omnino est, sed aliter fundanda, quam hoc communiter contingit.

2. *Formam rerum materialiter cognoscibilium ponere omnino necessarium est.* Si namque unaquaelibet res solum sec. suam veritatem ontologicam, absolutam cognoscatur, in unitatem synthesis mentalis redigi nullo modo potest. Talia obiecta essent, veluti acervus lapidum, unitatem per accidens repraesentantia et sic, defectu principii unificantis et vivificantis magis ad collapsum et perturbationem, quam ad aedificandam mentem ordinarentur. *Intellectus ex natura sua tendit ad unitatem,* quod ex identitate copulae «est» clarissime repraesentatur. Perfectio cognitionis intellectualis in iudicio apparet, in quo conformitas

[1] De subiecto scientiae auctor scripsit in Periodico «Divus Thomas» (Freiburg. Schw.) a. 1946. p. 29-44; 209-310. Insuper: Eigentumsrecht, p. 8. squ; Sint. 497. squ; Thom. p. 38. squ.

cognitorum cum «esse» vel «ente» aliquo enuntiatur. Copula est forma iudicii, quae virtutem suam formativam ex eo exercet, quod materiam conceptam (elementa simplicis apprehensionis) refert ad ens, ad esse, eamque in ipsis formaliter verificat, i. e. ut obiecta extra animam proponit. Inde *ordo ad esse, ad ens, est forma iudicii, quae consequenter ad genus relationis pertinet* et sec. rationem ipsius influxum formativum exercet. Subiectum huius relationis sunt obiecta materialiter (per simplicem apprehensionem) percepta, terminus vero est illud esse vel ens, ad quod referuntur, fundamentum autem virtualitas illius esse vel entis, qua obiecta materialia ad se trahere, formaliter verificare, i. e. obiectivare seu ut obiecta formalia reddere potest.[1] *Esse vel ens, ad quod obiecta materialia referuntur, per quod obiectivantur (verificantur), in quo specialem modum cognoscibilitatis acquirunt et sic in unitatem synthesis mentalis (obiectivae et subiectivae) rediguntur, vocatur principium formale seu subiectum cognitionis.* Ipsum est forma cognitionis, non per modum formarum naturalium, quae per suum esse materiae communicatum influxum formativum exercent, sed per modum artificialium, quae per ordinem ad aliquid commune (sec. exemplaritatem vel finalitatem) in unitatem rediguntur. Ea, quae unitatem artificialem ingrediuntur, retinent suum esse naturale, quod tamen ex ordinatione ad aliquod commune, esse relativum, entitatem absolute consideratam modificans recipit. Sec. hoc esse relativum amittit suam independentiam, quae illi sec. se considerato competeret, fit pars rei artificialis, in qua solum sec. hanc partialitatem et dependentiam esse et subsistere

[1] In his tractatibus frequenter loquimur de obiectivatione. Sub hoc nomine comprehendimus totum processum cognitionis, incipiendo ab impressionibus sensuum usque ad terminationem in iudicio definitivo. Sic includit acquisitionem obiecti materialis et reductionem eius ad aliquod principium formale, in cuius virtute vere, tamquam *obiectum*, a puris statibus mentalibus distinctum et *subiecto* oppositum, apparet. Omnia, quae suo modo ad hunc processum perficiendum concurrunt, sunt principia obiectivationis, materialia vel formalia, sec. rationem sui influxus. Haec in ordine generationis.

Sec. formalem et praecisivam rationem obiectivatio significat cuiuscumque esse physici translationem in esse obiectivum seu repraesentativum, non quocumque modo, sed sec. formationem per aliquam firmam rationem cognoscendi. Reddere aliquid formaliter cognoscibile, cognitum, vel verificatum, est obiectivare. Ex aliqua in se firma ratione cognoscendi materia obiectivanda particeps fit esse obiectivi ipsius, mentemque eodem modo ligat, ac principium formale, ad cuius esse trahitur vel in cuius virtualitate contenta manifestatur. Principia in obiectivationem influunt, sec. quod materia cognoscibilis in ipsis continetur: formaliter, si actu, materialiter, si in potentia connectuntur cum ipsa. Inde si sermo est de obiectivatione, respiciendum est, undenam materia cognoscibilis offeratur et in quonam cognoscendi formali principio firmitatem habeat. Haec praecipue prae oculis habenda sunt, si de obiectivatione per auctoritatem et in auctoritate sermo sit. Cf. p. 34. et p. 124. squ.

potest. Ex hoc res artificiales unitatem per se repraesentant, quae ad similitudinem unitatis per se naturalis concipienda est, quamvis, ut dictum est, ratio unitatis sit diversa in utroque ordine.

3. *Cognitio hum. ordinata concipienda est per modum rerum artificialium.* Materia eius sunt veritates ontologicae, quae ex eo quod in unitatem et totalitatem synthesis mentalis assumuntur, amittunt suam independentiam et ex ordine ad subiectum sciendi recipiunt quamdam temperationem,[1] atque ut partes unius totalitatis funguntur. *Ideo quaelibet multitudo cognitorum sub uno subiecto, sec. unam formalem rationem ordinata, repraesentat unitatem per se artificialem, cuius forma (obiectum formale quo) est ordo singularum veritatum ontologicarum ad communem rationem, subiectum sciendi.* Quia vero haec forma ex virtute formativa subiecti oritur, etiam istud vocari potest forma cognitionis ordinatae, utpote per modum principii vivificantis, quasi animantis, in omni obiecto formaliter cognoscibilis vel cogniti inclusum. Cognitio autem ordinata et formalem veritatem repraesentans, scientia vocatur, cuius principium subiectum scientiae audit.

4. Esse autem et ens non uno tantum sensu sumuntur. Pro intellectu hum. sec. rationem indivisam ut ens commune apparet, quod prout ex abstractione analytica[2] entis in quidditate sensibili oritur, ens commune (universale) logicum vocatur. Sic repraesentat ens, ut ens, habet extensionem infinitam atque manifestat potentialitatem intellectus,[3] qua ens infinitum et finitum sec. omnes modalitates possibiles attingere potest. Cum tamen in ordine cognoscibilitatis solam et puram potentiam repraesentet, ratione ipsius nihil determinati apparet, nisi comprehensio cognita vel cognoscibilis aliunde desumatur. Ideo

[1] De temperamento conceptuum cf. Sint . . . in Indice sub voce «temperamento»; Ism. p. 69. seq.

[2] Conspectus diversorum modorum abstractionis

ABSTRACTIO	effectiva; qua intellectus agens illuminat obiecta ex sensibus accepta eaque imprimit intellectui possibili		positiva: quae terminatur ad conceptus possibiles, possibilitate reali vel in se vel in suis causis (positive, negativo-positive) visibiles
	considerativa: procedit ex operatione intellectus possibilis	synthetica: per quam elaborantur conceptus quoad comprehensionem universales	negativa: quae terminatur ad conceptus non-impossibiles ex solo ambiente visibiles
		analytica: per quam elaborantur conceptus quoad extensionem (logicam) universales	

Cf. ea, quae in Sint. hac de re inveniuntur (in Indice sub verbo «astrazione»).

[3] Haec potentialitas non est positiva, sed pura actuabilitas tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti. Concipitur per modum potentialitatis, qua materia prima respicit formas, per quas actuari potest.

est *ratio materialis cognoscendi*, praebens schemata logica vel alias conditiones cognoscibilitatis particularium obiectorum, quae consequenter ipsi subiiciuntur sec. aliquam extensionem coarctatam. *Totam latitudinem obiectorum rationem entis habentium intellectus perspicere non potest.* Ideo obiecta praesentanda sunt illi sec. minorem universalitatem, in aliquo medio sibi illa subiiciente. In tali horizonte diminuto intellectus facilius animadvertit obiecta cognoscibilia, eaque (per experientiam, testimonium) perscrutando quoad veritatem realem singillatim cognoscere atque in unitatem synthesis subiecti logici reducere potest. Talis coarctatio entis communis logice accepti est necessaria ex rationibus methodicis, ut sc. processus cognoscendi via faciliori et commodiori contingere possit. Sicut enim in compositione rerum artificialium praerequiritur idea quaedam finem assequendum repraesentans, ideoque omnia media sec. aptitudinem seu potentialitatem ad finem assequendum determinans, ita et pro compositione scientifica ante omnia praefigendus est finis assequendus, qui per ideam regentem totum processum inquisitionis (qui ordo synthesis seu inventionis vocatur)[1] dirigit, obiectaque, quibus mediantibus finis consequi potest, circumscribit. Ex hac idea exemplari, quae subiectum scientiae logicum repraesentat, desumuntur obiecta materialia, ex quorum investigatione et formali obiectivatione per experientiam vel testimonium comprehensio (tartalom, Inhalt) potentialis subiecti scientiae actualis fit, ita ut hoc negotio peracto, tamquam subiectum reale, syntheticum, aptum sit ad diiudicanda particularia, sub extensione sua universali contenta.[2] *Finis ergo investigationis, inventionis, seu ordinis synthesis, est cognitio subiecti scientiae in se et sec. suas passiones seu proprietates.* In hoc consistit iustificatio subiecti scientiae, quod nulla scientia probat, sed praesupponit, ut in se evidens, vel aliunde probatum. Est enim, ut diximus, idea quaedam praeconcepta pro ordinandis obiectis cognoscibilibus, quae consequenter rationem sui valoris et aptitudinis ad conficiendam unitatem synthesis mentalis solum potentialiter in se habet, quoad realitatem et actualitatem vero a materia verificata et obiectivata per experientiam vel testimonium (testificationem) mutuat. *In hac obiectivatione perficienda consistit ratio scientiarum syntheticarum, quae xordiuntur a subiecto logico et finiuntur in eius cognitione reali.* In termino igitur harum investigationum subiectum scientiae proponitur tamquam mensura, ratio formalis cognoscendi omnium obiectorum sibi subiectorum in virtualitate ipsius contentorum.

5. Hic incipit ordo analysis seu iudicii, in quo subiectum, quoad valorem realem defensum et propositum, assumitur tamquam princi-

[1] De ordine synthesis (inventionis) et analysis (iudicii) cf. I. 79. 9 ; Örök... p. 80 sequ. ; Sint., in Indice sub verbo «Sintesi».

[2] Uberior explicatio in Sint., p. 333 sequ.

pium, in quo verificantur et obiectivantur omnia obiecta materialia illius scientiae. In hoc consistit coarctatio subiecti scientiae quoad comprehensionem, qua redditur aptum ad hoc, ut in ipso tamquam prius cognito atque in lumine ipsius obiectivo diiudicentur singula obiecta materialia. Ex hac investigatione apparet, quaenam eorum trahantur ad eandem cognoscibilitatem et obiectivationem, quae subiecto in se, et ut principio aliorum competat, quaenam ex eius virtualitate simpliciter excludantur et quaenam cum illa ex illatione ab extrinseco coniungi possint.

6. Hoc munus dirigendi cognitionem unificatam et secundum synthesim mentalem in totalitatem reductam, fundatur in ratione entis communis, quod *in termino abstractionis syntheticae tamquam ratio entis participati manifestatur.* Abstractio namque synthetica ad hoc ordinatur, ut universalitas logica (extensiva) alicuius conceptus quoad comprehensionem, ut universalitas metaphysica, determinetur. Medium huius determinationis est experientia, qua, ex obiectis per sensum perceptis per abstractionem effectivam intellectus agentis atque per abstractionem considerativam intellectus possibilis, elaborantur conceptus universales et necessarii. Alter vero fons, ex quo notiones scientificae oriuntur, est testificatio, seu auctoritas, quae ut talis atque ut regula tuta (argumentum) cognitionis intellectualis probari debet, antequam ut principium obiectivationis assumatur.[1] S. Thomas prima principia vocat instrumenta intellectus agentis, quibus veritas obiectorum materialium mensuratur et in esse intelligibili constituitur. Media praedicta pariter inter instrumenta intellectus agentis referri possunt, quibus utitur ad materialia obiecta praeparanda atque intellectui possibili praesentenda, qui synthesim illorum in una formali ratione cognoscendi conficit. Ista communis ratio atque principium universale vocatur subiectum reale, syntheticum, scientiae, ex cuius analysi procedi potest ad cognoscenda et diiudicanda obiecta particularia. Per talem abstractionem syntheticam efformatur ratio entis communis quoad comprehensionem universalem. Ens commune sic conceptum vocatur ens participatum, cuius virtualitas est infinita actu,[2] prout continet rationem cognoscendi cunctorum obiectorum, circa quae intellectus hum. versari potest.

7. *Notio entis participati efformatur ex abstractione ab ente in quidditate sensibili,* cuius communem rationem essendi, compositionem sc. ex potentia et actu, tamquam notam maxime caracteristicam exprimit atque repraesentat. Haec compositio refertur tum ad ordinem essendi (ex essentia et existentia) tum ad ordinem quidditatis (ex materia et forma). In ultimo gradu abstractionis syntheticae realis etiam a compositione quidditativa praescindere possumus, ita ut ex hoc ratio entis

[1] De hoc processu cf. Hitv. p. 109 sequ. [2] Cf. p. 129.

participati, entitative compositi, ut principium universale cognoscendi et diiudicandi obiecta particularia proponatur. Ex hac ratione procedit intellectus ad cognoscendam causam entis participati, sc. esse per se subsistens. Ex eadem ratione potest cognoscere diversa genera entium in eius virtualitate contenta, sibi subiecta et vi connexionis necessariae in illa obiectivata atque intellectui per modum obiectorum verificatorum proposita. *Virtualitas entis participati est infinita*, cum non sit aliquod obiectum, quod per rationem entis participati, quoad cognoscibilitatem et valorem diiudicari non possit. Saltem existentia communis obiectorum cum hac actuali virtualitate connexorum statui potest, de quidditate autem eorum intantum conceptus efformari potest, inquantum sec. aliquam rationem causalitatis cum ente participato coniunguntur atque in ipso aliquod vestigium, similitudinem vel imaginem reliquerunt. Sec. haec *ratio entis participati etiam pro demonstranda existentia communi ordinis supernaturalis assumi potest*, quamvis ex se de quidditate ipsius (ob defectum nexus causalis) nullam possit notam quamcumque manifestare. Hoc relinquitur alteri medio cognoscendi, quod pro statu coniunctionis animae et corporis sola testificatio auctoritativa esse potest.

8. Universaliter ergo enuntiari potest: *per rationem entis participati omnia cognosci possunt, quae in virtualitate ipsius positiva, vel positivo-negativa continentur, ea autem, quae in potentia cum ipsa coniungi possunt, sunt cognoscibilia atque ut obiecta formalia constitui et verificari possunt per testificationem auctoritativam.* Aliis verbis: virtualitas potentialis entis participati compleri potest per alia media proportionata, quae formaliter, in se verificant quaedam obiecta, remanente obiectivatione materiali per rationes entis participati, praesertim ut repraesentat notas ex quidditate sensibili desumptas. Hoc principio utimur in tractatu de mediis cognoscendi ordinem supernaturalem per revelationem propositum.

9. *Notio tamen entis participati non est tantum universalis, sed etiam communis, ita ut ex ea obiecta particularia nonnisi sec. communes rationes cognosci possint.*[1] Circa singula specialibus inquisitionibus

[1] Hoc verificatur de omnibus conceptibus universalibus hum. Essentias namque rerum non cognoscimus in specie atoma, sed solum sec. rationes pluribus applicabiles, quas communes, sive sec. analogiam, sive sec. univocationem, vocamus. Si sint conceptus analytici, sunt universales logice et repraesentant puram potentiam ad plura obiecta referibilem, per quae sec. comprehensionem determinari valent. Ex hac determinatione oriuntur *conceptus synthetici*, in quibus virtualiter ea continentur, quae per abstractionem considerativam illata sunt. Hac via et mediante abstractione synthetica efformantur cuncta principia, praesertim subiecta scientiae, quae sunt analysi comprehensivae apta. Per analysim ex his rationibus universalibus consequenter ea tantum erui possunt, quae per synthesim illata sunt. Ideo, in ordine iudicii, non possunt plures notae

opus est. Per novas abstractiones considerativas determinantur notae et rationes singulorum obiectorum, quae tamen in unitatem et synthesim totalem per rationem entis participati rediguntur. Ex hoc exurgit synthesis mentalis obiective et subiective una, cuius principium est ratio entis participati, sicut et subiectum, in cuius esse et veritate singula obiecta particularia sec. suum valorem et veritatem subsistunt. Non quidem ut ipsi inhaerentes, sed ut ad illud ordinata et per ordinem ad ipsum formata. Ens participatum est ultimum principium mensurans et obiectivans cuiusque cognitionis hum., quamvis et ipsum, praecise quia participatum, mensuretur per rationes aeternas, terminos connotatos ideae Div.[1]

10. Ea, quae in horizonte intellectus apparent, per rationem entis participati fiunt perceptibilia et obiectivata. Quia tamen lumen ipsius obiectivum propter suam universalitatem est valde debile, ita ut non possint omnia immediate per ipsum illustrari et obiectivari, ideo necessarium est pro artificiali et artificiosa ordinatione obiectorum quaedam media particularia invenire, quorum ope certus tantum numerus obiectorum illuminetur et facilius perceptibilis fiat. *Ex hac indigentia oriuntur subiecta minus universalia et quoad comprehensionem ditiora, utpote captui intellectus hum. magis accomodata et coaptata.* Haec subiecta desumuntur sec. diversos gradus abstractionis, qui in tribus determinantur ordinibus. Infimum gradum repraesentat abstractio physica, quae versatur circa ens in quidditate sensibili atque remanet in eius ratione entitative et quidditative composita. Subiectum per hanc abstractionem efformatum est ens mobile, quod in ordine synthesis defenditur in Philosophia naturali, in ordine autem iudicii seu analysis in eadem scientia fungitur munere rationis formalis cognoscendi. Philosophiae naturali subordinantur particulares scientiae naturales (imo et quaedam illi subalternantur) in eodem gradu abstractionis remanentes,

vel rationes expectari, quam eae, quae in conceptu synthetico continentur. Ex eo tamen, quod singula obiecta trahuntur ad gradum cognoscibilitatis principii vel subiecti, maiorem recipiunt firmitatem, cum incorporentur in illas connexiones causales, quae ista repraesentant et praebere possunt. Sic si aliquod obiectum videatur in lumine subiecti Metaphysicae, diiudicatur sec. firmiores connexiones causales, quam si solitarie vel in lumine alicuius scientiae particularis spectetur. Generaliter igitur enuntiari potest de conceptibus hum. : *crescente universalitate crescit communitas rationum cognoscibilium, sed etiam crescit firmitas connexionum causalium, sec. quas elementa iudicii connectuntur.* Ideo firmissimae connexiones expectari possunt a subiecto Theologiae, quod est in summo gradu abstractionis et ad esse Veritatis primae refert cognita, tamen alia ex parte ex ipso de singulis cognitis nonnisi rationes communissimae erui possunt. Efformatur enim, ut videbimus, per abstractionem syntheticam negativam, in cuius termino apparent conceptus non-impossibiles.

[1] Cf. Örök. p. 82.

qui ipsi competit. Subiectum harum scientiarum abstrahit a materia individuali, non tamen a materia communi, quae tum in ipso, tum in particularibus obiectis includitur. Subiecta particularia participant rationem entis mobilis, in virtute ipsius verificant obiecta et copula in omnibus enuntiationibus harum scientiarum locum tenet entis mobilis, ita ut ad verificationem et obiectivationem elementorum iudicii atque coniunctionis eorum mentem ad leges talis entis provocet et processum illum sec. principia in ipso contenta dirigendum ac perficiendum esse innuat. Obiecta sub ente mobili atque subiectis cum ipso cohaerentibus ordinata propinquissima sunt intellectui, cum sensibus sint accessibilia, ideoque modo connaturali intellectui praesentari possint. In ratione tamen scientiae tanto inferiorem gradum obtinent, quanto minus universale est subiectum eorum. Scientia namque ex eo habet firmitatem, quod connexiones causales detegit atque stabiliendo praesentat. Quanto magis autem aliquod subiectum est coarctatum, tanto in minori extensione potest connexiones causales praesentare atque in unitatem totius entis reducere. Sub hoc respectu diversae scientiae naturales minime aptae sunt ad conficiendam synthesim mentalem totalem, cum subiecta ipsarum perpauca obiecta contineant, de obiectis spiritualibus atque de causis ultimis rerum nullam notionem positivam praebere possint. Haec omnia in potentia comprehenduntur in talibus subiectis (sic tamen necessario), ita ut mens in contemplatione obiectorum scientiarum naturalium complete quietari nequeat. Qui hoc non animadvertit et remanet in solis particularibus connexionibus causalibus, quasi in ultimis, ad quae mens hum. pervenire potest, mentalitatem obiective et subiective valde coarctatam prae se fert, etiamsi gemmata pretiosissima ex sua scientia particulari possideat. *Ideo subiectum Philosophiae naturalis et scientiarum ipsi subordinatarum completione indiget per alia subiecta magis universalia, in superiori gradu abstractionis posita.*

11. Secundum gradum obtinet abstractio mathematica, quae etiam a materia communi praescindit et retinet solam quantitatem intelligibilem. Mathematica est scientia sui iuris, independens, propter tamen coniunctionem (ratione quantitatis) cum quidditate sensibili, maximum valorem habet pro statuendis connexionibus causalibus in ambitu entis mobilis, quod consequenter ad cognoscibilitatem sui subiecti trahere potest. De aliis connexionibus entitativis autem silet. Ita ex Mathematica non possumus pervenire ad causas ultimas rerum cognoscendas, ad rationem infiniti sec. entitatem etc. Haec omnia in subiecto Metaphysicae continentur quod in summo gradu abstractionis ponitur, nihil in sua ratione de materia vel quantitate, imo nec de ordine ad ipsas prae se ferens : repraesentat ens ut ens, quod sec. duplicem modum supra descriptum, ut ens commune logicum et ens commune reale seu participatum, intellectui praesentatur. *In hoc gradu finitur abstractio positiva.* Processus tamen abstractionis negativae continuari

potest. Subiectum enim Metaphysicae continet notionem esse per se subsistentis ut causae ipsius. Sic *esse per se subsistens* est obiectum naturaliter cognoscibibile. *Cum autem ut est in se, sec. proprias positivas rationes ex ente participato cognosci non valeat, quamvis etiam sec. istas ut realitas existens intellectui praesentetur, mens hum. conatur illud tamquam subiectum et principium cognoscendi concipere et sic circa illud scientiam construere.*

II. De constructione subiecti Theologiae.

12. Conatus iste non remanet infructuosus. Inutilitatem, ex eius existentia quaedam ad quidditatem ipsius pertinentia deducendi, intellectus hum. mox videre cogitur. Ex ente namque participato nonnisi existentiam eius sec. rationem copulae demonstrare valet, ex quo quaedam communia (sec. analogiam cum effectibus ab ipso productis) relate ad quidditatem eius deducit, sed *quoad propria omne medium cognoscendi naturale deficit:* ignoramus et ignorabimus ipsum esse per se subsistens, per hanc viam inaccessibile. Sed nunc statuitur hypothesis. In cognitione naturali dantur obiecta, quae directe nec in se, nec in suis causis menti manifestantur, de quibus tamen possumus habere solidam notionem ex testificatione illorum, qui illa ex propria experientia aliquando cognoverunt (facta historica) vel etiam hic et nunc cognoscunt (ut sunt obiecta a nobis distantia, regiones nobis ignotae vel non accessibiles) et de iis fidelem testificationem praebent. *Hic est modus cognoscendi aliquid ex auctoritate et in auctoritate*, quae assumitur ut argumentum mentem captivans eiusque terminos et horizontem elargiens atque ad terminos alienae cognitionis transferens. Conditiones, sub quibus auctoritati assensus rationabilis praestari potest, scientifice stabiliri debent, ex quo *novum subiectum sciendi construitur, quod nomine generali ens testificans, seu locutio auctoritativa vocari potest.* Si conditiones acceptabilitatis auctoritativae locutionis, seu communicationis, scientifice solide stabilitae sunt, valorem scientificum cognitioni ex ipsa exortae denegare non possumus. Ex usu et approbatione harum conditionum fit v. g. historia vera scientia.

13. Huic fundamento innixi statuimus hypothesim. Esse per se subsistens sec. proprias rationes menti hum. directe sec. abstractionem positivam non est accessibile. *Sed nihil obstat, quominus ex testificatione illorum, qui illud in se cognoscunt, quaedem et nos cognoscamus.* Nam quod in se sit cognoscibile, nullatenus in dubium vocari potest, cum sit immateriale. Quinam sint, qui ipsum cognoscunt, ignoramus. Certum tamen est, quod sibiipsi sit notum. Jam enim quoad suam existentiam communem ut ens intelligens, ordinans praesentatur (in quinta via S. Thomae). Ideo nihil obstat, quominus suam scientiam creaturis rationabilibus communicet, illasque per suam auctoritativam locutio-

nem instruat et captivet. Si haec hypothesis verificatur, *esse per se subsistens, Veritas prima auctoritative loquens assumi potest, ub subiectum principium vel ratio cognoscendi eorum, quae menti sec. media naturalia abscondita, Deo autem nota et hominibus ab Ipso communicabilia sunt.* Hanc locutionem auctoritativam Dei vocamus revelationem ; obiecta vero rationi naturali inaccessibilia, revelabilia seu mysteria appellamus. *Subiectum hypotheticum talis auctoritativae cognitionis designari potest: ens supernaturale, seu Deus ut est in se, vel Veritas prima auctoritative loquens.* Revelabilia sunt obiecta materialia talis magisterii, ipsa vero auctoritas ratio formalis, in qua revelabilia ut acceptabilia et firmiter tenenda constituuntur.

14. Ad complementum huius hypothesis ulterius speculamur de diversis possibilitatibus. Quod revelabilia sint infinita, deducitur ex infinitate esse per se subsistentis. Quid ex iis communicatu aptum sit, ex finalitate quadam determinandum est. Sicut enim Deus in creatione rerum visibilium ex fine praestituto processit, atque ea elegit, quae ad illum assequendum apta et necessaria sunt, ita etiam in revelatione simili modo procedens supponitur. *Obiecta ergo revelabilia sec. exigentiam finis praestituti restringuntur et ex hoc oritur determinatio subiecti seu principii cognoscendi ordinis supernaturalis.* Cum autem principium formale pro his veritatibus ex fine coarctatis sit auctoritas Dei, sequitur, quod testificatio Dei in tantum extenditur et fit ratio formalis cognoscendi, inquanum revelabilia modo praedicto restringuntur. Extra hos terminos auctoritas Dei, ut argumentum adduci nequit. Sicut enim in cognitione naturali singula subiecta scientiae, ut media cognoscendi, solum pro illis obiectis assumi possunt, quae in virtualitate illorum continentur, ita etiam Deus revelans, auctoritative loquens, intantum potest esse principium cognoscendi, inquantum in virtualitate ipsius ex fine coarctata, revelabilia in ipso includuntur.

15. His per modum hypothesis positis, inquirimus, *an decursu temporum aliquis nuntius de auctoritativa locutione seu de revelatione Dei inveniatur.* Multae religiones hac de re gloriantur. Assertiones illarum singillatim examinandae sunt, an sigillum originis divinae ostendere possint. Christianismus prae ceteris asserit, se esse depositarium revelationis Div. Deus ut est in se, revelans ea, quae in Christianismo proponuntur, eorumque solum, ponitur supremum principium, a quo esse et veritas ipsius dependent. Catholicismus ulterius progreditur, asserendo Veritatem primam (Deum ut est in se) esse supremam regulam revelatorum. Haec autem ad illa restringuntur, quae in deposito fidei, Ecclesiae catholicae ad custodiendum commisso, continentur. Sec. hoc ratio formalis cognoscendi revelationem et revelata esset : Deus in se, Veritas prima prout in doctrina Ecclesiae manifestatur. Deus autem in se est esse per se subsistens in tribus Personis. Ideo supremum principium verificans et obiectivans revelationem sec. Catho-

licismum est : *esse per se subsistens in tribus Personis prout in doctrina Ecclesiae manifestatur.* Ex hoc desumitur argumentum pro revelatione et de revelatis quoad fidem divinam, quae ex auctoritate Dei sic enuntiata suam habet firmitatem.

16. Revelatio autem et revelata non tantum sunt obiecta fidei, sed etiam scientifice elaborari debent, ut rationabilitas obsequii fidei appareat. Hoc fit in Theologia, in cuius subiectum assumitur praedictum principium. Quidquid in fide vel in his, quae cum ipsa connectuntur, asseritur, ad hoc subiectum reducendum, in lumine ipsius diiudicandum est. Virtualitas ipsius extenditur ad omnia obiecta quae in actu revelatis continentur vel cum illis cohaerent. Ex hoc ordine (relatione) singulorum ad subiectum oritur unitas et specifica determinatio scientiae theologicae, cuius obiecta materialia valde diversa sunt (Deus, opera Dei, interpretatio S. Scripturae, historia, ius etc.), sec. tamen ordinem praedictum in totalitatem et unitatem formalem, per se, artificialem rediguntur.[1]

17. *Solum igitur id pertinet ad scientiam theologicam, quod cum subiecto ipsius cohaeret, lumen et virtualitatem ipsius participat.* Finis negotii scientifici est cognitio subiecti et proprietatum ipsius. Sunt quaedam, quae ex eo fiunt obiecta scientiae quia deducuntur ex ipso tamquam supremo principio cognoscendi, et sic notificant divitias virtualitatis ipsius. Alia autem referuntur ad ipsam, ut firmitatem eius stabilientia, ex quibus apparet, illud esse veram et realem rationem cognoscendi, tutamque normam obiectorum diiudicandorum. Talia obiecta sunt fundamentalia pro esse et veritate subiecti scientiae, sine quibus non potest habere firmam consistentiam, ita ut absque illis totum aedificium scientificum collabatur. Investigationes, quae circa subiectum Theologiae sub hoc respectu versantur, constituunt obiecta *Theologiae fundamentalis*, in qua revera ipsa fundamenta ponuntur, supra quae aedificium theologici negotii construitur. Si subiectum eius tamquam principium reale cognitionis iustificari non possit, Theologia nonnisi valorem inutilis speculationis, solam veritatem logicam possidentis, habebit.

18. *Hoc autem subiectum scientifice non potest deduci ex aliquo principio naturali, sed nec ex principio supernaturali in se viso.* Iustificatio ipsius consequenter non potest esse directa et immediata ex evidentia hausta, sed solum defensiva. Demonstratur, quod ex parte ambientis (cognitionis naturalis) acceptabilitati et acceptationi eius nihil obstat. Ambiens non imponit necessario acceptationem eius, sed nec impedit illam, ac si esset sibi omnino oppositum. *Demonstrare acceptabilitatem subiecti Theologiae, defendendo illud sec. veritatem ambientis et sec. harmoniam cum ipso, est finis Theologiae fundamentalis, quae hac ex parte Apologetica, seu defensio subiecti Theologiae vocatur.*

[1] Conspectum revelabilium vide Hitv. tab. V—VI. post p. 200.

III. De iustificatione et defensione subiecti Theologiae in Apologetica.

19. Subiectum Theologiae refert Deum revelantem seu revelationem tamquam principium formale cognoscendi revelata atque revelabilia in virtualitate ipsorum contenta. Revelatio autem per Jesum Christum completa est. Ipse est principale obiectum eius, ad quod omnia revelata ab initio mundi referuntur et in quo suam veritatem completam habent. Christus autem custodiam revelationis et revelatorum Ecclesiae commisit. Ex hac parte omnia obiecta ad Apologeticam pertinentia sic comprehendi et finis eius sic exprimi potest: *defensio revelationis per Jesum Christum factae et in Ecclesia ab Ipso condita conservatae.*

20. In hac scientia dantur principia pro negotio theologico perficiendo necessaria. Ex hac parte vocari potest: *doctrina de principiis theologicis.* Ulterius procedendo videmus, quod subiectum Theologiae determinat ens supernaturale per revelationem manifestans suam sapientiam et bonitatem in perducendis hominibus ad salutem. In hac scientia proponitur ratio huius sapientiae et bonitatis. Inde merito vocari potest *doctrina de ente supernaturali* sec. concretam eius manifestationem in revelatione actuali, seu etiam *doctrina de ratione actualis revelationis.*

21. Sub qualicumque respectu consideretur haec scientia, *finis eius principalis est generalis iustificatio subiecti Theologiae, ut rationis cognoscendi realis et acceptabilis. Hic est finis Apologeticae syntheticae,* in qua determinatio subiecti et proprietatum ipsius inquiritur. In hac parte utimur subiecto Theologiae sec. eius universalitatem logicam, qua circumscribuntur termini, intra quorum ambitum obiecta inveniri possunt, ex quibus aliquid pro iustificatione eius expectari et desumi potest. Subiectum logicum alicuius scientiae ad hoc constituitur et ordinatur, ut inquisitionem scientificam intra proprios terminos contineat, ita ut omnia obiecta in hoc ambitu inventa, eaque sola, perscrutentur atque conclusionnes circa ipsa formatae ad determinationem subiecti applicentur. Ex hac methodica restrictione non tantum unitas et specifica constitutio inquisitionis scientificae oritur, sed etiam maximum emolumentum, divagationem ad terminos alienos impediens, sequitur. Ex hoc fine praestituto desumitur igitur unitas obiectorum, quae sec. magnam varietatem et diversitatem materialem concurrunt ad aedificium apologeticum construendum, eo fere modo, quo ex materiis diversis, artificialiter tamen ordinatis, exsurgit aedificium ad inhabitandum aptum. Materialiter considerata non cohaerent. Sunt iuxtaposita, imo nec coordinata. Inquantum autem ordinantur ad iustificandum subiectum Theologiae, ipsi subordinantur, inter se vero coordinantur atque sec. vim iustificandi et obiectivandi illud, sec. rectam rationem sciendi (systematice) ordinantur. Dignitas singulorum obiectorum atque valor apologeticus ex eo dependet, quid et in quanam mensura ad

defensionem subiecti Theologiae conferre valeant. *Finis ergo Apologeticae syntheticae est obiectivatio subiecti Theologiae in ambiente.* Conclusio finalis eius est: ex parte ambientis, cognitionis sc. naturaliter acquisibilis, nihil obstare, quominus ut regula omnis inquisitionis theologicae et ut ratio formalis iudicii circa obiecta quocumque modo occurrentia assumatur. Ipso mediante interponitur copula mentem ad esse Div., ad Veritatem primam, ad Deum revelantem referens.

22. *Finis autem Apologeticae analyticae est explicare virtualitatem subiecti Theologiae,* illudque applicare ad singula obiecta et facta occurrentia diiudicanda. Hic agitur de subiecto iam iustificato atque per lumen fidei cognito. Quomodo ambiens et ea, quae ex eius perscrutatione scientifica sequuntur, diiudicanda sint in lumine fidei, et quomodo haec obiecta in unitatem synthesis mentalis supernaturalis redigi possint, est obiectum Apologeticae analyticae. In hoc iudicio utitur subiecto Theologiae atque ex comprehensione ipsius eruitur iudicium: non est recedendum a fide propter ea, quae exterius apparent. Hanc firmitatem singulis fidelibus communicant dona Spiritus Sancti, quatenus autem hoc mediis scientificis acquiritur vel fulcitur, ab Apologetica analytica scientifica oritur.

23. Negotium igitur apologeticum perficitur vel ex perscrutatione ambientis, examinando eius virtualitatem, quid ad defensionem subiecti Theologiae conferre valeat, vel ex comparatione subiecti iam iustificati cum ambiente, ex qua iudicium de valore ambientis relate ad rationes aeternas in subiecto inclusas efformatur. Finis auctoris non erat haec omnia in particulari ostendere. Optime namque inveniuntur in diversis libris manualibus. *Difficulter tamen invenitur ostensio unitatis scientiae apologeticae atque eius characteris et determinationis specificae.* Hoc sibi voluit auctor proponere ostendendo, quomodo subiectum Theologiae sit forma, quasi anima vivificans, eorum, quae in hac scientia tractantur, et quomodo et quonam ordine trahat ad se singula obiecta materialia, constituendo omnia in una specie Theologiae et reddendo ea formaliter cognoscibilia sec. respectum ad Deum revelantem, ad Veritatem primam. Sic *Apologetica est pars potestativa doctrinae sacrae, unius scientiae theologicae, cuius unitas et totalitas ex indivisione subiecti Theologiae desumitur.* Opus fundamentale peragit, reddendo ipsum subiectum Theologiae, a quo valor singulorum obiectorum dependet, acceptabile et credibile. Ideo iure merito vocatur *doctrina de credibilitate subiecti Theologiae et consequenter revelationis et revelatorum.* Ideo est tanti momenti, ordinem firmum stabilire obiectorum, quae ad efformandum iudicium de praedicta credibilitate conferunt, ostendendo quomodo cum subiecto Theologiae cohaereant, quid ad iustificationem ipsius conferant, quomodo sub influxu eius ordinativo constituantur, qualem tandem locum in aedificio Apologeticae obtineant et qua ratione mentem ad recipiendum lumen formale revelationis (fidei) disponant.

24. Necessitas talis synthesis plane apparet. In eius possessione de facili retinentur argumenta in aliis libris proposita, mensque studiosa illa facilius perspicit. Utrum et dissensiones circa esse specificum scientiae apologeticae per hanc expositionem eliminentur, in dubio relinquitur. Quod tamen eliminabiles sunt, iis qui doctrinam S. Thomae de subiecto scientiae cognoscunt et tamquam suam profitentur, valde probabile apparet. Propter hunc finem exaravit auctor hunc conspectum, ex quo apparet, posse Apologeticam per modum unius, indivisae scientiae et specifice theologicae construi ac obiecta in ipsa tractata sub una ratione sciendi proponi.

25. Negotium igitur apologeticum duplici operatione perficitur atque Apologetica ipsa bifariam dividitur.

a) In prima parte proponuntur atque defenduntur principia, quae ad intrinsecam constitutionem subiecti Theologiae diiudicandam necessaria sunt vel quibus ad ipsius cognoscibilitatem opus est. Haec pars vocatur *Axiologia apologetica.*

b) In secunda parte idem subiectum obiectivatur et probatur per facta, quae valorem eius realem probant defenduntque. Haec pars vocatur Apologetica critica. Principia heuristica, sec. quae singula facta inveniri, investigari et diiudicari debent, sunt communia cum aliis scientiis vel hauriuntur de Axiologia. Ea, ad quae huiusmodi investigationes perducunt, sunt valores determinati, ut fundamenta totius Theologiae, imo et credibilitatis rationabilis revelatorum, probati. Ex his valoribus *(ὁρίσματα)* vocatur haec pars Apologetica horismatica vel ex modo procedendi: *Apologetica horistica.* Finis Apologeticae criticae est determinare valorem realem-actualem subiecti Theologiae ex peracto organorum revelationis Div. examine. Hoc fit per viam inquisitionis et per media ambiens organorum illuminantia. Ex hac ratione loquimur de Apologetica heuristica, inquisitiva, ex parte autem veritatum quoad valorem firmatarum de Apologetica heuretica seu horismatica. Liber in quo demonstratur valor realis subiecti Theologiae et organa revelationis Div. iustificantur, inscribi potest: Horistica generalis. Alteri vero libro, in quo tractatur de magisterio Ecclesiae et in quo valor realis-actualis eiusdem subjecti determinatur, merito inscribi potest: Horistica specialis.

APOLOGETICA
- axiologica
  - generalis: de principiis ordinis supernaturalis
  - specialis: de mediis cognoscendi ordinem supernaturalem
- horistica seu critica
  - generalis: iustificatio organorum revelationis valores *(ὁρίσματα)* reales, fundamentales
  - specialis: valores actuales.

IV. De loco et dignitate Apologeticae inter disciplinas Theologicas.

26. Ex his iam elucet, quid de Apologetica scientifica expectare possimus. Non est ars disputandi eo modo, quo in vita quotidiana circa quaestiones religiosas colloquia institui solent. Apologetica scientifice stabilit principia ad fidem defendendam necessaria ; applicatio tamen illorum relinquitur dexteritati et habilitati disputantium. *In Apologetica vulgari* ad adversantes persuadendos aliis utimur mediis, ac in scientifica, ita ut argumenta, quae hic sunt valida et definitiva, illic quandoque nullius sint valoris. In usu vulgari respiciendum est ad exigentias particulares audientium, in probatione autem scientifica *argumenta desumenda sunt ex universalibus exigentiis naturae hum. scientifice excultae,* vel ad talem culturam aptae. Adversarii sunt diversa systemata philosophica sicut et scientiae particulares. Ea quae in his exponuntur, diiudicari debent in Apologetica sec. rationes Philosophiae perennis. Permulta valde utilia in his inveniuntur, quibus haec scientia ad proprium finem assequendum utitur, cetera autem per solida argumenta refutat, reiicitque. In nulla parte Theologiae requiritur tanta eruditio quam in Apologetica, cum nulla scientia excipiatur, de qua iudicare non oporteat.

27. In organismo scientiarum theologicarum Apologetica similem occupat locum, ac Metaphysica inter scientias naturales, lumine naturali acquisitas resp. acquisibiles. *A Metaphysica dependet soliditas scientiarum particularium, cum suprema suppeditet principia ad diiudicandam realitatem cuiusque ordinis.* Metaphysica est synthesis omnium particularium notionum naturaliter acquisibilium. Collocatur in summo gradu abstractionis, ideoque in sua virtualitate continet omnia, quae per abstractionem syntheticam in suis conceptibus inclusa vel per analyticam ab iis exclusa sunt. Ex conceptibus sic elaboratis cum certitudine obiectiva erui potest, quid in realitate menti hum. accessibili contineatur, vel ab ipsa excludendum sit. Ideo apte vocatur Prima Philosophia, i. e. Axiologia cognitionis hum. Similiter Apologetica est prima Theologia, Axiologia totius doctrinae sacrae seu scientiae theologicae. *Demonstrat namque subiectum commune totius Theologiae esse principium continens synthesim omnium notionum in revelatione communicatarum, sec. harmoniam cum ambiente, sc. cum scientiis naturalibus.* Ex hac parte Apologetica est *defensio fidei* seu *revelationis Div.*, simul et propositio alicuius principii apti ad totalem synthesim mentalem obiectivam et subiectivam (világnézet-Weltanschauung) efformandam. Subiectum Theologiae accipitur ex revelatione, sed iustificatur ex ambiente. Haec iustificatio simili processu synthetico contingit, ac defensio subiecti Metaphysicae Hic enim exodium sumitur a notione entis communis logice universalis, et facta abstactione synthetica processus terminatur ad notionem entis participati quoad comprehensionem universalis. Subiectum Theologiae, prout desumitur ex revelatione, est obiectum fidei ; pro cognitione

autem naturali ex se nullam determinationem habet: est quasi ens commune, indeterminatum, habens solam extensionem, quoad comprehensionem determinandam. Utrum sit tali modo determinabile, relinquitur inquisitioni scientificae. Hoc vehementer negatur a Naturalismo, affirmatur vero ab Apologetica. *Subiectum Theologiae, scientifice quasi vacuum, ignotum, reddere comprehensione reali plenum et determinatum, est finis Apologeticae.* Hoc negotium perficitur ex processu synthetico, examinando ambiens omnis generis atque ex hoc deducendo conclusionem: *acceptationi scientificae subiecti Theologiae ex parte ambientis nihil obstat.*

28. Ex his apparet, subiectum Theologiae, apologetice defensum et iustificatum, possidere virtualitatem extensam tum ad actualem revelationem (unde legitime desumptum esse demonstratur), tum ad cognitionem naturalem, ex cuius investigatione scientifice acceptabile apparet. Inde soliditas scientiarum theologicarum ex investigationibus apologeticis dependet. Singulae disciplinae theologicae non probant suum subiectum. Utuntur ipso, at securitas usus ex ostensione apologetica dependet. Apologetica igitur merito vocatur Theologia Fundamentalis, utpote ea scientifice exponens et probans, a quibus soliditas aedificii theologici dependet.

29. Relate ad comprehensionem positivam subiecti Theologiae ab ambiente nihil expectari potest. Tota namque desumitur ex revelatione. Si ergo finis Apologeticae est, subiectum Theologiae, quoad comprehensionem vacuum, reddere plenum, hoc solummodo de cognitione scientifica intelligendum est. Ex parte illorum, quae ipsum circumdant (ex parte ambientis), comprehensio eius vacua est, ita ut ipsum subiectum Theologiae propcognitione naturali indeterminatum, inaccessibile et non acceptabile apareat. Hoc inter subiectum Theologiae et ambiens quasi spatium vacuum existens debet expleri notionibus realibus, mediantibus contactum inter duo extrema. *Hoc spatium vacuum est territorium proprium Apologeticae.*

30. Connexio tamen inter duo extrema, quam Apologetica stabilire potest, est tantum tangentialis. Argumenta ex ambiente desumpta de intima et propria veritate subiecti Theologiae testificari non possunt. Non enim continentur in eius virtualitate actu, sed in potentia tantum ab extrinseco actuabili. Captivatio igitur intellectus sub hoc respectu ab iis inutiliter expectatur. *Ad evidentiam ergo argumenta ex ambiente desumpta convictionem tantum parere possunt, quod ab exteriori, ex parte tangentium, acceptabilitati et acceptationi subiecti Theologiae nihil obstat.* Haec obiectiva vis convictiva unice ex inquisitionibus apologeticis oritur. *Media naturalia perducunt ad portas esse supernaturalis, eas tamen aperire nequeunt.* Januas coeli solus Ille aperire potest, qui est Dominus coelorum, et ingressum permittit ad beneplacitum suae voluntatis, non sec. leges naturae, sed sec. ordinem gratiae. Finis ergo Apologeticae

non est perducere directe ad fidem, sed amovere obstacula ipsius, et sic naturam disponere ad recipiendum esse supernaturale.

31. Scientiam theologicam diversas quoad obiectum materiale complectere disciplinas omnibus notum est. *Suntne istae omnino independentes et sui iuris, vel in aliqua communi ratione conveniunt?* Quod possint sec. propriam finalitatem coli, patet ex diversis conatibus, qui decursu temporum observari potuerunt. Sacra Scriptura, Historia Ecclesiae et Ius canonicum de facili tali finalitate coluntur. Dogmatica aequiparari potest expositioni doctrinae diversarum religionum, methodus vero, quae in defensione revelationis adhibetur, ad impugnationem eius transferri valet. Ex hac propria finalitate non tantum unitas Theologiae, sed et character eius sacer pessumdatur. Hae disciplinae nonnisi materialiter, solum sec. aequivocationem theologicae appellantur. Deficit enim in iis ordo ad doctrinam sacram, de qua S. Thomas I. I. loquitur, et quae instructionem hominis de sua salute per revelationem Div. continet. Relatio omnium cognoscibilium ad hanc sacram doctrinam constituit disciplinas particulares in unitate specifica. Propositio simplex revelatorum appellat ad solam fidem audientium, quae in puro assensu completur et innititur auctoritati Dei revelantis. Dona S. Spiritus pro utilitate cuiusque fidelis sufficienter fulciunt hunc assensum, quatenus menti fideli ostendunt, non esse recedendum ab his quae sunt fidei propter ea, quae exterius apparent.[1] Ut autem assensus fidei tamquam obsequium rationabile appareat, necessarium est invenire fulcimentum ex parte cognitionis naturalis, quod est ambiens revelationis et revelatorum. Hoc incumbit scientiae theologicae, cuius est ostendere rationabilem acceptabilitatem eorum, quae in fide proponuntur. Hoc ex demonstratione directa obtineri nequit, cum revelata in ambiente naturali actu non contineantur. Demonstratio autem indirecta ex harmonia revelationis cum ambiente possibilis est, et haec quaeritur in omni ostensione theologica. Reducere revelata cum ambiente comparata ad Deum revelantem est igitur finis totius negotii theologici. *Ex hac parte tota Theologia est apologia, seu defensio fidei, cognoscibilis sec. veritatem ambientis, vel refutatio argumentorum, quae ex ambiente contra acceptabilitatem aut firmitatem obiiciuntur.* Deus ut revelans simili modo includi debet in omni inquisitione theologica formali, sicut ens et prima principia includuntur in inquisitionibus cognitionis naturalis. Et sicut ens commune est subiectum totius cognitionis naturalis, ita Deus revelans est subiectum scientiae theologicae.

32. Nulla autem scientia probat suum subiectum, sed illud praesupponit. Pertinet enim ad illa praecognita, de quibus Aristoteles in II. Posteriorum Analyticorum in initio loquitur. Haec tamen praesuppositio non significat vanam, inanem et gratuitam acceptionem,

[1] II—II. 8. 2.

opinionem vel suspicionem, sed firmam certitudinem obiectivam atque evidentiam, quod alicubi, *vel in immediata evidentia, vel in aliqua scientia speciali, vel in cognitione testis fide digni, illud, quod in subiecto scientiae praesupposito continetur, tamquam obiectum omni ex parte probatum et firmum existit.*

33. Huic persuasioni innititur omnis scientia acceptans suum subiectum et utens illo tamquam tuta norma dirigente. *Si igitur subiectum scientiae non est immediate evidens, vel quoad comprehensionem indeterminatum existit et invenitur, necessaria est aliqua scientia specialis, a qua omnimoda iustificatio subiecti expectatur.* In fine talis defensionis subiectum proponitur quoad valorem et quoad directionem acceptabile, scientia autem, quae hoc perficit negotium, est supra scientias particulares, tamquam regulatrix ipsarum atque prima inter ipsas. Bene enim scribit S. Thomas in Proëm. ad Comm. in XII libros Metaphysicorum loquendo de subiecto Metaphysicae : «Illa scientia est maxime intellectualis, quae circa principia maxime universalia versatur. Quae quidem sunt ens et ea, quae consequuntur ad ens, ut unum et multa, potentia et actus. Huiusmodi autem non debent omnino indeterminata remanere, cum sine his completa cognitio de his, quae sunt propria alicui generi vel speciei, haberi non possit. Nec iterum in una aliqua particulari scientia tractari debent, quia cum his unumquodque genus entium ad sui cognitionem indigeat, pari ratione in qualibet scientia tractarentur. Unde restat, quod in una communi scientia huiusmodi tractentur, quae cum maxime intellectualis sit, est aliarum regulatrix». Inde Metaphysicae est proponere, defendere et iustificare communem rationem sciendi, subiectum omnium scientiarum, ita ut ab ipsa dependeat soliditas omnium scientiarum humanarum.

34. Haec omnia transferantur oportet ad exigentias particularium scientiarum, quae doctrinam sacram, a Deo revelatam tradere intendunt. *Disciplinae theologicae particulares simpliciter utuntur subiecto Theologiae, relinquentes iustificationem et defensionem ipsius alicui tutae normae cognoscendi*, a qua illud cum supra memorata confidentia mutuant. Haec autem est aut scientia Dei, aut aliquis modus sciendi naturalis. Pro fide sufficit prima, pro certitudine vero scientifica requiritur demonstratio directa (quae est impossibilis), vel indirecta desumpta ex ambiente naturali. *Rationabiliter igitur construitur, imo omnino necessaria est aliqua scientia, in qua communis ratio cognoscendi, seu subiectum earum proponitur atque defendendo iustificatur.* Hanc scientiam vocamus Apologeticam, quae in organismo scientiarum theologicarum similem occupat locum, ac Metaphysica inter scientias particulares. Ex hoc liberantur disciplinae singulares ab onere continuo iustificandi suum subiectum atque propriam rationem cognoscendi. Integre defensum accipiunt illud a scientia theologica fundamentali, quae negotium iustificationis complete perficere et subiectum ut tutam normam regula-

tricem cognitionis theologicae proponere debet. Ex hoc haurit Apologetica propriam, specificam finalitatem, qua supra omnes disciplinas theologicas collocatur, estque regulatrix ipsarum. Quia autem ista finalitas non propter se, sed propter bonum totius Theologiae quaeritur, et notio subiecti Theologiae in omnibus conclusionibus particularium disciplinarum eo modo includitur, sicut ens commune in scientiis naturaliter acquisibilibus, non est separata ab eis, sed *unum corpus artificiale cum ipsis constituit regens et movens per modum reginae et primi (sec. dignitatem) cogniti.* Ideo analogice eadem nomina illi attribui possunt, quibus S. Thomas in dicto Proëmio Metaphysicam nominat. Est enim *Scientia Divina antonomastice*, utpote defendens Deum in se, ut revelatum, et Deum revelantem, cuius locutionis perceptibilitatem demonstrat. Est etiam *Theologia per excellentiam*, quatenus tractat de ente supernaturali et de his, quae ad illud consequuntur. Et quia proponit ea, quae transcendunt obiecta particularium disciplinarum theologicarum, ad similitudinem Metaphysicae *Scientia Metatheologica* appellari posset. Sicut enim Metaphysica est synthesis omnium scientiarum naturaliter acquisibilium, ita et Apologetica est synthesis totius doctrinae sacrae, ut proponibilis lumine principiorum naturalium per modum ambientis servientium. Est tandem *Prima Theologia*, inquantum prima rerum theologicarum principia considerat. Cetera nomina quibus Apologetica appellari et ornari solet, non desumuntur ex finalitate ipsius, sed ex mediis ab ipsa adhibitis, sc. ex particularibus obiectis in Apologetica tractatis ut «de revelatione», «de Ecclesia», «defensio Christianismi» etc. Haec omnia non sunt apta ad exprimendam universalitatem huius scientiae, nec possunt unitatem eius manifestare.

35. «Sic igitur patet — possumus cum S. Thoma in Proëmio citato concludere — quid sit subiectum huius scientiae et qualiter se habeat ad alias scientias, et quo nomine nominetur».

V. De obiectis in Apologetica tractandis.

36. *Inde Apologetica est illa scientia, ex qua disciplinae theologicae suum subiectum, tamquam legitimam et tutam normam seu rationem sciendi desumunt, cuius firmitati confisae, praesupponunt, at non probant suum subiectum.* Hoc in Apologetica est cognitum et pro ceteris disciplinis praecognitum, a quo omnes conclusiones theologicae mensurantur et ad quod omnia reducenda sunt, quae in singulis disciplinis proponuntur.

37. Ex his obiecta in Apologetica tractanda sec. dependentiam a subiecto Theologiae determinare possumus, prout sub illo ordinantur et per ipsum ad unitatem systematicam reducuntur. Connexionem specialem decursu elucidationum huius libri intendimus manifestare. Hic et nunc dabimus conspectum de ratione connexionis generalis, qua obiecta

ad subiectum Theologiae referuntur, illud in ordine synthesis iustificant, in ordine autem analyis per ipsum diiudicantur.

38. Finis scientiae Apologeticae est defensio et iustificatio generalis subiecti Theologiae. Exorditur de facto, quod tale subiectum Theologiae existit et est principium vivificativum Ecclesiae catholicae. Hoc principium diversis modis enuntiari potest. In *formula Paulina* apparet: accedentem ad Deum oportet credere, quia est et inquirentibus se remunerator sit.[1] Aliter pronuntiatur: *cultus Dei sec. ritum christianae religionis.*[2] Perfectissime autem et exigentiis scientificis maxime correspondenter enuntiatur in formula: *esse per se subsistens in tribus Personis, prout in doctrina Ecclesiae manifestatur.* Aliae quoque formulae sunt possibiles, ut vg. «Christus principium universale gratificationis in genere hum.», quae tamen minus aptae apparent ad totam doctrinam revelatam comprehendendam. Sic formula Christo-centrica optime exprimit obiectum principale revelationis actualis, sed illud non repraesentat sec. subordinationem ad obiectum primarium fidei, quod est Deus in se. Christus enim, ut Verbum Incarnatum pertinet ad obiectum secundarium, primario subordinatum, fidei. Inter obiecta secundaria principalitatem habet, subordinatam tamen obiecto primario, ita ut ipse Christus non reddatur credibilis, nisi ex respectu ad SS. Trinitatem et ad providentiam Dei supernaturalem. Inde formula de esse Dei desumpta est maxime universalis, totam revelationem comprehendens atque radix omnium revelatorum.

39. Stabilito facto, Apologeticae est hoc subiectum defendere et omni ex parte iustificare. Haec iustificatio respicit *a)* comprehensionem formulae et ea, quae ex ipsa eruuntur eamque consequuntur; *b)* extensionem ipsius seu connexionem cum aliis, a quibus dependet sec rationem causae efficientis (principalis vel instrumentalis), exemplaris vel finalis. *Neutra analysis subiecti Theologiae, sec. sc. principia intrinseca (quoad comprehensionem) et extrinseca, potest eius veritatem in se manifestare, sed solum in veritate ambientis resplendet et redditur acceptu dignum seu credibile.*

40. Analysis subiecti Theologiae quoad principia intrinseca sese extendit tum quoad formulam mere logicam, tum quoad comprehensionem realem. Aliis verbis: debet probari, tum possibilitas logica, tum realis, subiecti Theologiae. *Logica possibilitas* ex eo apparet, quod formula percipi potest: datur in consueta forma conceptuum simplicium (simplicis apprehensionis), et si per modum iudicii consideretur P et S ordinantur sec. leges cognitionis hum. communes. Inde acceptioni subiecti Theologiae *ex parte scientiae Logicae nil obstat.*

41. Difficultates multo maiores sunt *ex parte possibilitatis realis.*[3] Pronuntiatur namque in hac formula aliquid, quod in hac coniunctione

[1] Hebr. 11. 6. [2] III. 63. 2.
[3] De diversis gradibus possibilitatis cf. Thom. p. 72.[1]

mentem perturbat. Singuli quidem conceptus inveniuntur in cognitione naturali et sine difficultate admittuntur. Prout tamen inter se copulantur, res omnino ignotas repraesentant, quae vel impossibiles apparent, vel saltem captui naturali inaccessibiles sunt. Haec accomodatio per reductionem ad evidentiam intrinsecam impossibilis est. *Formula non est evidens immediate*, ut patet, *nec etiam mediate*, cum ad nullum principium in se evidens reduci vel ab ipso deduci possit. Inde de sola *evidentia extrinseca* possumus loqui, quae desumitur ex perspicuitate ambientis.[1] Ex cognitione sc. scientifica eorum, cum quibus subiectum Theologiae connectitur, pervenimus ad assertionem, quod *iis, quae naturaliter cognoscuntur, non contradicit.* Harmonia igitur inter subiectum Theologiae et ambiens stabiliri potest, ideo acceptationi ipsius ex *parte veritatum naturalium nihil obstat.*

42. Iustificatio ergo subiecti Theologiae sequenti processu fit:

a) *Repraesentat veritatem religiosam*, relationem hominis cum Deo regulantem. Inde ante omnia defendi debet per tractatum de religione.

b) *Enuntiat veritatem captum rationis naturalis superantem.* Ideo defendi debet per expositionem eorum, quae ad ordinem supernaturalem pertinent, qui non in se et immediate, sed solum ex comparatione cum ambiente est menti hum. accessibilis.

c) *Non potest ex inventione rationis naturalis oriri.* Ideo tractare debemus de possibilitate alterius modi inventionis, qui revelatio supernaturalis vocatur.

d) *Revelatio haec non ligat mentem ex evidentia intrinseca.* Ideo loquendum est de criteriis revelationem iustificantibus.

e) Res revelatae, quarum synthesim subiectum Theologiae repraesentat *per nullum medium naturale obiectivum mentem hum. movere possunt*, quia in eis non continentur. Similiter nec media subiectiva naturalia (intellectus eiusque habitus acquisiti) sufficiunt ad illas attingendas. Ideo necessarius est tractatus de medio cognoscendi ordinem supernaturalem seu revelationem Div.

43. *Expositio horum pertinet ad Axiologiam apologeticam.* Obiecta quae n. *a—d)* respiciunt, pertinent ad Axiologiam generalem, ea vero quae sub n. e. contenta comprehendunt, ad Axiologiam specialem. In hac parte solum possibilitas cognoscendi revelationem exponitur, factum vero revelationis defenditur ex rationibus desumptis, quae ex causis extrinsecis dependent, et ad Horisticam apologeticam pertinent.

44. *Deum esse Auctorem revelationis* per modum causae principalis primae de facili probatur. Agitur enim de veritatibus quoad esse reale in medio naturali creato vel creabili, sive sec. se totum sive sec. partem

[1] Schema cognoscendi aliquid in seipso el in alio, et in ambiente, invenitur Hitv. Tab. II. post p. 122.

non contentis, quae consequenter per solum medium increatum cognosci et a solo Deo communicari possunt. Iustificatio Veritatis Primae necnon essentialis Veracitatis, ut realiter existentis, est praeambulum ad possibilitatem revelationis, sicut et omnipotentia Ipsius, qua Sibi nota communicare hominibus eaque tamquam a se communicata confirmare valet. Cum tamen Deus revelationem per certa organa creata communicet, ista iustificari debent ad hoc, quod dictis eorum credere possimus. Ex hac defensione apparet *factum revelationis quoad credibilitatem materialem, de qua secunda pars Apologeticae (Horistica) tractat.*

45. In hoc consistit iustificatio subiecti Apologeticae quoad causas extrinsecas. Organa enim revelationis considerantur, sec. quod stant sub influxu Div. supernaturali, infallibiliter movente et dirigente illa ad finem revelationis, qui est salus hominibus annuntianda et communicanda. Organa autem a Deo assumpta aut sunt animata, i. e. sub influxu Dei se moventia, aut inanimata, quae passive recipiunt atque repraesentant influxum Div., sicque testes sunt revelationis organis animatis factae, ut est S. Scriptura.

46. *Ex parte causae finalis* omnis doctrina sive verbo sive scripto tradita talis esse debet, quod voluntatem Dei salvificam annuntiet. Ex hac igitur parte doctrina communicata per organa diiudicanda est, an sc. sit a Deo necne. Sic utimur criteriis doctrinae intrinsecis ex parte finalitatis. Quidquid non ordinatur, sive immediate, sive mediate ad instructionem hominis de salute, a Deo esse non potest.

47. *Ex parte causae exemplaris*, mensurantis veritatem doctrinae, respiciendum est ad rationes aeternas. Hae quidem in se videri non possunt, bene tamen in suis participationibus. *Regula autem proxima mentem hum. dirigens est ens in quidditate sensibili*, quae per modum obiecti in cognitione naturali apparet. Inde omnis doctrina per organa revelationis communicata examinari debet, an conformis sit cognitioni naturali. Haec conformitas non debet esse positiva et homogenea, quia sic veritates communicatae per organa revelationis naturaliter quoque cognoscibiles essent, nec adesset necessitas influxus specialis supernaturalis. Non tamen licet, quod privative deficiat, contradictioque aperta inter doctrinam annuntiatam et cognitionem naturalem appareat. In omni tamen casu requiritur et sufficit, si conformitas permissive seu negative inveniatur, i. e. si in cognitione naturali, ut ambiente doctrinae annuntiatae, nil inveniatur, quod huic contradicat. Conformitas immediata revelationis cum rationibus aeternis directe tantum in lumine prophetico apparet, in inspiratione autem et in fide solum indirecte probari potest in «signis» revelationis, i. e. in probatione per miracula et in impletione praedictionis propheticae.

48. *Ex parte causae efficientis*, seu ab auctore Deo subordinato, argumentum desumitur per probationem missionis divinae. Hic distinguenda sunt organa Deo coniuncta, ut est Christus, et organa separata,

ut sunt Prophetae et Patriarchae, quibus revelatio immediate communicata fuit, et Ecclesia, de qua asseritur, quod sit organum conservationis indefectibilis et magistra infallibilis revelationis in docendo et proponendo. Haec organa singillatim defendenda ac iustificanda sunt, ut eorum missio Div. patefiat. Ab hac probatione dependet credibilitas materialis, i. e. firma ratio movens ad assensum, qua ex parte rationis

---

I. Conspectus iustificationis generalis subiecti Theologiae in unitatem specificam et systematicam reducentis omnia obiecta Apologeticae.



naturalis nihil obstare ostenditur, quominus ut legati Dei acceptentur et venerentur. In hac persuasione communicata finitur et completur opus negotii Apologetici. Ideo ex tendentia ad hunc finem atque ex assecutione ipsius per media scientifica Apologetica apte vocatur *defensio seu iustificatio revelationis per Jesum Christum factae et in Ecclesia ab Ipso condita conservatae.* Defensio subiecti Theologiae sec. analysim omnium principiorum intrinsecorum et extrinsecorum obiective, sec. tamen credibilitatem materialem, movet ad assensum huic propositioni *Ecclesia catholica tum quoad esse, tum quoad constitutionem, sicut et*

II. Conspectus obiectorum ad iustificationem generalem subiecti Theologiae aptorum.



quoad potestatem docendi, sanctificandi et regendi homines, agnoscenda est organum Providentiae Div., per Jesum Christum institutum. Credibilitatem formalem scientia hum., sicut est Apologetica, communicare non valet. Haec desumitur ex irradiatione luminis supernaturalis, ex Dei gratia communicati.

Tabellae sequentes repraesentant connexionem obiectorum in Apologetica tractandorum cum subiecto Theologiae, prout ad eius iustificationem (in ordine synthesis seu inventionis) conferunt, vel (in ordine analysis seu iudicii) in lumine ipsius diiudicari possunt.

III. Conspectus rationis connexionis obiectorum Apologeticae cum subiecto Theologiae, sec. quam ad eius iustificationem concurrunt.

- OBIECTA connexa cum iustificatione subiecti Theologiae
  - praesuppositive: ostendendo legitimitatem generalem alicuius principii universalis dirigentis mentalitatem religiosam: *tractatus de religione*
  - praebendo argumenta pro acceptabilitate subiecti
    - axiologice: per principia valorem logicum subiecti in se ostendentia
      - quoad esse et veritatem eius ontologicam supernaturalem: *tractatus de ordine supernaturali*
      - quoad cognoscibilitatem subiecti
        - ex parte modi communicationis
          - formalis: *tractatus de revelatione*
          - materialis: *tractatus de motivis credibilitatis* ex ambiente desumptis
        - ex parte modi (mediorum) cognoscendi
          - revelationem immediatam
            - ut acceptam: *tractatus de prophetia*
            - ut tradendam: *tractatus de inspiratione et de assistentia*
          - revelationem mediatam: *tractatus de fide*
    - determinative, seu horistice: per facta valorem realem subiecti ostendentia
      - desumpta ex iustificatione organorum revelationis
        - animatorum: *tractatus de divina missione Christi*
        - inanimatorum: *tractatus de fontibus revelationis* (de locis theologicis)
      - desumpta ex iustificatione organi continuantis opus Christi et custodientis revelationem: *tractatus de Ecclesia.*

IV. Obiectivatio subiecti Theologiae ex referibilitate obiectorum ad ipsum sec. processum Apologeticae syntheticae.



1. Religio.
2. Ens supernaturale cognitum ex ambiente.
3. Possibilitas revelationis.
4. Criteria revelationis (motiva credibilitatis).
5. Possibilitas mediorum cognoscendi revelationem.
6. Iustificatio obiectorum revelationis.
7. Defensio magisterii Ecclesiae.

V. Conspectus virtualitatis subiecti Theologiae per ambiens scientifice iustificati et in formali lumine fidei supernaturalis propositi, sec. aptitudinem dirigendi in ordine iudicii (analysis) totam cognitionem theologicam.

Praenotamen: Cum subiectum Theologiae oriatur duplici ex fonte ex revelatione sc. et ex investigationibus scientificis, virtualitas ipsius comprehendit tum revelationem et revelata, tum etiam obiecta naturaliter cognoscibilia, ex quibus, ut ex ambiente, obiectivationem pro scientia humana recipit. Finis enim totius inquisitionis Apologeticae syntheticae est demonstratio aptitudinis subiecti Theologiae ad hoc, ut revelationem actualem, eamque solam, menti hum. ex ambiente, ex cognitione naturali, acceptabilem proponat et commendet. Facta igitur iustificatione, tum axiologica, tum horistica, subiectum Theologiae virtualitatem extensam ad totum ambitum revelationis actualis recipit, ita ut lumine ipsius omnia, quae ad revelata sive directe, sive indirecte pertinent (cf. tabell. p. 110. de obiecto fidei) diiudicari valeant. Est itaque universalis, etsi communis, ratio cognoscendi in toto territorio Theologiae, simili modo ac esse commune participatum pro cognitione naturali positive vel positivo-negative possibili. In virtualitate ipsius praeprimis continentur obiecta in anteriore schemate enumerata, a quibus obiectivationem scientificam accipit. Continetur in ipsa cognitio naturalis sec. illam rationem, qua non contrariatur revelationi, ideoque principia vel facta ipsius apta sunt ad hoc, ut ad singula obiecta revelata (in Theologia dogmatica) defendenda vel explicanda (progressus dogmaticus) assumantur. Amplectitur, ut dictum est, totam revelationem actualem, cuius rationes, ut per assensum fidei retentae, omnia iudicia theologica, per modum motivi formalis, ingredi et in ipsis contineri debent. Subiectum igitur Theologiae duplex lumen, revelationis et

rationis naturalis, in se synthetice unit radiosque ipsorum emittit ad omnia obiecta Theologiae. (De his et de speciebus Theologiae cf. opus auct.: Der thomist. Gottesbegriff p. 134 sequ.). His praenotatis assignamus obiecta, ad quae diiudicanda subiectum Theologiae aptum est.



Singula obiecta, quae per subiectum Theologiae diiudicari possunt, sunt sequentia:

1. Variae formae religionum et phaenomenorum religiosorum quoad valorem accessus ad Deum et quoad coniunctionem cum Ipso.
2. Discretio supernaturalium a naturalibus, necnon iudicium de valore supernaturali singulorum obiectorum, quae ut talia proponuntur. Hoc fit praesertim in Theologia dogmatica.
3. Factum revelationis sec. eius supernaturalitatem et sec. omnes modalitates desumptas ex sapientia, bonitate, misericordia Dei.
4. Motiva materialia credibilitatis, prout assumuntur, ut instrumenta motivi formalis credibilitatis et credenditatis supernaturalis.
5. Media cognoscendi revelationem sec. valorem formalem, quae mentem cum Veritate prima coniungere valent.
6. Organa revelationis tum sec. se, tum sec. subordinationem ad consummatorem revelationis, sc. Jesum Christum, Filium Dei.
7. Ecclesia, de cuius praesertim magisterio et de munere continuandi opus Christi rectam aestimationem praebet.
8. Ordinatio systematica obiectorum fidei, sicut et eorum, quae per modum revelabilium, in ipsis continentur. Dogmatica.
9. Mores vitae christianae tum sec. moralitatem (Theologia Moralis) vel sec. connexiones iuridicas fidelium (Jus canonicum), tum sec. cultum (s. Liturgia) diiudicandi.
10. Fontes revelationis tum immediati (S. Scriptura, Traditio divina) tum mediati. Decisiones Summorum Pontificum, doctrina SS. Patrum, Doctorum Ecclesiae et Theologorum Ecclesiae debito modo expositae et reverenter tractatae: Exegesis, Patristica, Historia Dogmatum et Theologiae.
11. Vita Ecclesiae diiudicanda sec. rationes Providentiae Div. specialis: Historia Ecclesiae.
12. Philosophia et aliae scientiae naturaliter acquisitae, quoad iudicium in lumine rationum aeternarum revelatarum.

* * *

Praecipui libri, in quibus tractatus de singulis obiectis Apologeticae inveniuntur, et qui alios fontes referunt.

1. L. Billot: Tractatus de Ecclesia Christi. Romae 1927.
2. R. Garrigou—Lagrange: De revelatione. Romae 1927.
3. V. De Groot: Summa Apologetica de Ecclesia catholica. Ratisb. 1892.
4. R. Schultes: De Ecclesia catholica. Parisiis. 1925.
5. Schütz A.: Dogmatika. Budapest 1937.
6. Tanquerey: Synopsis Theol. Dogm. Fundamentalis.
7. Th. Zigliara: Propaedeutica ad Sacram Theologiam. Romae. 1897.
8. Zubizzareta: Theologia Fundamentalis. Bilbao 1937.

Resumptum ex Introductione.

Propositiones notandae de obiecto et subiecto scientiae.

1. *Obiectum intellectus* est ens et verum. Idem est ac veritas ontologica, quae ex I. 16. 5. est esse conformabile intellectui. Inquantum aliquid habet de esse, intantum est cognoscibile.

2. *Obiectum simpliciter* dicitur omne, quod ratione sui conformabilitatis terminare potest actum intellectus illumque in actu secundo constituere valet. In intellectu in actu secundo constituto est veritas cognitionis (ex parte subiecti cognoscentis), obiectum autem, ex quo haec perfectio intellectus oritur, repraesentat veritatem rei, seu ontologicam (ex parte cogniti, quod est in intellectu assimilato et rei conformi ut forma intentionalis cognitionis, veritas formalis in intellectu cognoscente).

3. Veritas est conceptus relativus, cuius fundamenta tum in intellectu conformabili (in potentia intellectus), tum in esse conformabili inveniuntur. Ex unione utriusque, oritur cognitio, veritas formalis, quae prius est in intellectu, ex cuius veritate et res formaliter (sec. relationem rationis) verae dicuntur, dum in se sint tantum entia et materialiter verae.

4. *Obiectum, quod est ratio cognoscendi aliorum, principium vocatur*, quod in maiore extensione et universalitate *subiectum scientiae* repraesentat. Subiectum igitur scientiae est obiectum cognitum et simul ratio cognoscendi aliorum. Esse rationem cognoscendi significat, posse obiectivare alia obiecta eaque trahere ad propriam rationem cognoscendi, i. e. sec. relationem ad ipsum illis novam cognoscibilitatem et firmitatem tribuere.

5. *Obiecta materialia alicuius scientiae* sunt res verae veritate ontologica, quae sunt ad subiectum scientiae referibiles. Continentur sub eius extensione (universalitate logica) ideoque in ordine inventionis seu synthesis conferre valent ad cognitionem comprehensivam subiecti, illudque tamquam legitimam rationem cognoscendi iustificare possunt. Evoluta hac comprehensiva cognitione subiecti, hoc evadit in ordine iudicii seu analysis ratio communis cognoscendi omnium obiectorum ad ipsum referibilium. In ordine synthesis subiectum est ratio materialis cognoscendi, in ordine antem analysis ratio formalis. In primo casu obiecta referibilia iustificant subiectum, in secundo autem obiectivantur per ipsum.

6. *Obiectum formale quo* alicuius scientiae est ratio referibilitatis veritatis ontologicae rerum ad subiectum scientiae. Haec referibilitas fundatur in aliqua convenientia inter illa, qua subiectum universaliter continet sub se particularia.

7. *Obiectum formale quod* scientiae sunt res actu relatae ad subiectum et ut partes extensionis vel comprehensionis universalis ipsius cognitae.

8. Materia obiectivationis est veritas ontologica rerum, quae ex se est in ordine essendi sec. se (physico), materialiter (ex subiecto) identificatur cum cum ratione entis. Sic est quid absolutum et solum ex relatione intellectus induit rationem cognoscibilitatis et veritatis. Ex hac relatione obiecti et intellectus oritur esse obiectivum fundamentaliter. Haec relatio aut oritur ab intellectu, a quo veritas ontologica dependet (sicut ab intellectu Div., a rationibus aeternis dependet veritas ontologica entis participati), aut ab intellectu, qui per veritatem ontologicam rerum mensuratur, ut intellectus hum. Ulterior obiectivatio et esse obiectivum reducendum est ad rationem cognoscendi, quae efformatur modo p. 9. et squ. descripto. Cf. etiam p. 124. squ.

CONSPECTUS DE CONIUNCTIONE SINGULORUM OBIECTORUM APOLOGETICAE CUM SUBIECTO THEOLOGIAE IN PARTICULARI.

PRIMA PARS

AXIOLOGIA APOLOGETICA

SEU

DE ESSE ET COGNOSCIBILITATE ORDINIS SUPERNATURALIS.

LIBER PRIMUS

AXIOLOGIA GENERALIS

DE POSSIBILITATE OBIECTIVATIONIS ORDINIS SUPERNATURALIS IN SE ET PER AMBIENS NATURALE.

Praenotamen.

De notione Axiologiae.

1. *Nomine Axiologiae* intelligimus doctrinam de valoribus intellectualibus seu de principiis, quae processum intellectualem in cognoscenda veritate regulant diriguntque. Axiologia est expositio horum principiorum atque critica circa valorem ipsorum quoad extensionem et comprehensionem. Ostendit illorum connexionem seu ordinem inter se, sicut et unitatem in aliquo supremo principio communi (in subiecto scientiae) cui subordinantur et a quo suum participant valorem. Definiri etiam potest : *doctrina de recta sciendi ratione.* Sic Logica est Axiologia praebens principia methodi rectae seu connexionum cognitorum sec. schemata logica. Similiter Metaphysica est Axiologia totius cognitionis hum. quoad partem comprehensivam, quatenus coniunctionem obiectorum in ratione entis communis postulat deque eorum veritate sec. reductionem ad illam atque ad principia ex ipsa formata (prima principia, axiomata) iudicandum esse ostendit in illa parte, quae Critica vocatur.

2. Apologetica non habet Axiologiam a ceteris disciplinis theologicis distinctam. In omnibus eaedem leges logicae observandae sunt, quoad comprehensionem autem eadem finalitate reguntur. Exordiuntur namque a communi subiecto Theologiae, vel in illud reducunt singula obiecta (conclusiones theologicas). Cum tamen Apologeticae sit generalis subiecti Theologiae defensio atque iustificatio, iure merito vocari potest Axiologia theologica (theologische Prinzipienlehre, hittudományi értékelmélet). Tradit namque suprema, communia et fundamentalia principia, quibus processus theologicus dirigitur in diiudicando valore suarum conclusionum, an sc. et in quonam gradu sint connexae cum veritatibus revelatis. Sub hoc respectu loquimur de *Axiologia apologetica. Sic appellamus illam partem scientiae Apologeticae, quae tradit notiones et principia pro diiudicandis obiectis sec. connexiones cum religione, cum esse supernaturali atque cum origine Div.* Criteria quoque assignat (in motivis credibilitatis) ad discernendas conclusiones theologicas a scibilibus profanis necessaria. Istam partem vocamus *Axiologiam apologeticam generalem.* Prout autem exponit atque crisi subiicit media cognoscendi revelationem et assignat fontes, ex quibus cognitio revelatorum hauritur

(Loci theologici) *Axiologiam specialem* repraesentat. Inde haec prima pars duos continet libros, quorum primus agit de Axiologia generali, alter vero de Axiologia speciali.

3. Finis huius expositionis est ostendere connexionem obiectorum Apologeticae cum subiecto Theologiae sec. rationes, quibus illa ad ordinem sacrum, religiosum et supernaturalem pertinent.

4. Subiectum Theologiae manifeste aliquod principium repraesentat quod relationem hominis ad Deum regulat. Includit namque aliquam notionem de Deo distinctissimam, per quam pars theoretica religionis modo determinato ordinatur. Servitium religiosum praestandum est Enti supremo (esse per se subsistenti) modo incomprehensibili subsistenti in tribus Personis. Pars etiam practica religionis in hac formula comprehenditur. Cultus namque Deo praestandus est sec. doctrinam Ecclesiae, i. e. sec. ritum christianae vitae. Quid de Deo sentire debeamus, quibusque modis coli debeat, desumendum est ex revelatione ab Ecclesia custodita et proposita. *Inde haec formula continet obiectum indistinctum fidei et morum.* Ideo primum obiectum cum subiecto Theologiae connexum est religio.

TRACTATUS PRIMUS.

De religione.

5. In tractatu de religione ante omnia exponenda sunt fundamenta ipsius. *Fundamentum metaphysicum* est dependentia creaturae quoad totum esse ipsius a Deo. Ex hoc sequitur ligamen indissolubile creaturae ad Deum Creatorem, quod in sensu lato religio vocatur et invenitur in servitio totius Universi et omnis creaturae. De religione in sensu stricto loquimur, si haec dependentia conscia fit, et servitium Deo ex electione, ex propria consideratione et diligentia praestatur. Inde eius etymologia ex relectione, ex frequenti consideratione et retractatione divinarum rerum. Duo in habitudine religiosa inveniuntur: recte sentire de Divinis et recte circa illa agere ac cultum Deo praestare. — *Fundamentum psychicum* religionis est instinctus, seu sensus religiosus qui hominem movet ad Deum agnoscendum et colendum eo modo, quo alii instinctus naturales (ad conservationem vitae, speciei etc.) ad sua obiecta movere solent. Hic instinctus est quasi instrumentum dependentiae totalis a Deo, instigans ad cultum Deo reddendum: *ipso mediante fit homini conscium in communi, quod a supremo Numine dependeat, cuius ratio postea determinatur per ratiocinium et meditationem.* De hoc instinctu eodem modo loqui debemus ac de ceteris habitibus naturalibus sec. inchoationem in nobis existentibus. Sicut ex deviationibus, aberrationibus imo et corruptione aliorum instinctuum naturalium (vg. ex homosexualismo, frigiditate) firmum argumentum desumere possumus pro naturali instinctus constitutione, sic ex deviationibus in ordine religionis, imo praesertim ex irreligiositate (istentelenség, Gottlosigkeit) concludere possumus ad existentiam sensus religiosi, qui propter suam ordinationem in communi diversis modis sese manifestat atque in irreligiositate eodem modo apparet ac in aliis formis vitae religiosae.[1] Necessario movet ad obiectum sicut omnes instinctus naturales, quoad exercitium. *Nemo potest remanere absque exercitio,* sive actum ponendo,

[1] Ut hoc recte intelligatur recolenda est doctrina S. Thomae de naturali inclinatione ad bonum et finem in communi (I—II. 8—9.), quae tamquam fundamentum omnis operationis voluntariae invariata remanet in actibus contrariae speciei, in bonis et malis.

sive positionem eius negando. *Quoad specificationem tamen nullam secum portat necessitatem.* Inde diversae formae religionum.

6. *Religio est conscia hominis a Deo dependentiae agnitio.* Cum haec dependentia includat omnes Dei de homine dispositiones, ea quae ad habitudinem religiosam pertinent in sequentibus proponuntur: *a)* quid de Deo rebusque Divinis tenendum sit; *b)* quid a Deo sperare et tandem, *c)* quomodo cultum Ipsi praestare debeamus, i. e. quid faciendum sit, ut dependentia praefata in vita quoque practica agnoscatur, profiteatur, et manifestetur. Omnia, quae ad haec tria referuntur atque per modum propositionum et normarum enuntiantur, constituunt *religionem obiective* sumptam. Sic religio est summa omnium cognoscibilium de Deo rebusque divinis, sicut et normarum, quae cultum Dei regulant diriguntque. Promptitudo autem mentis, sive individualiter, sive collective sumpta, designat *religionem subiective* spectatam, cuius est exsequi atque in opere exprimere ea, quae in religione obiectiva praescribuntur. De virtute religionis agit S. Thomas II—II. 81. sequ. determinando singulos actus, quibus Deus colitur (oratio, adoratio, devotio, sacrificium etc.) et quae professionem fidei, seu religionis obiectivae, respiciunt.

7. *Circa religionem obiective sumptam* probandum est, cognitionem Dei naturalem possibilem esse, sicut et propriis viribus, attenta sola natura rationali hominis, Deo debitum cultum praestari posse. Haec defensio fit in Theodicaea et in Ethica, in quibus datur iustificatio religionis naturalis, pro religione autem supernaturali per easdem praestantur praeambula fidei. Sub utroque respectu Theodicaea et Ethica sunt scientiae subsidiariae Apologeticae, quin illi subalternentur. Maximum praestant Apologeticae servitium purificando viam ad ea cognoscenda, quae proprie ad ipsam pertinent.

8. Examinandus quoque est mediis scientificis instinctus sic dictus religiosus.[1] Quaestio haec resolvenda est in illa parte Psychologiae, quae *Psychologia religionis* vocatur. Ponitur factum huiusmodi motus instinctivi, considerantur modi normales et abnormes manifestationis ipsius prout in vita individuali et sociali observantur. Investigationes istae maximi emolumenti sunt pro Apologetica, cum ex his et universalitas inclinationis religiosae et modus eius normalis, ut in pluribus apparet, stabiliri possit. — De valore instinctus religiosi atque de eius manifestationibus iudicat *Philosophia religionis*, investigando, utrum instinctus hic sit unicum et autonomum fundamentum religionis, fons ex quo religio obiectiva oriatur eiusque singulae assertiones desumendae atque sec. conformitatem cum ipso diiudicandae sint firmitatemque possideant, ut Sentimentalismus et Modernismus asserit. Contra hos statuitur *ultimum fundamentum religionis esse ontologicam dependentiam hominis a Deo omnesque veritates religiosas mensurandas esse*, sec quod haec

[1] Cf. Appendicem I. p. 63. squ.

dependentia cum suis speculativis et practicis consequentiis magis vel minus clare, sec. exigentias naturales vel supernaturales hominis determinatur atque manifestatur.

9. Altera scientia subsidiaria Apologeticae est *Historia religionum*, praesertim comparata, ex qua clucet, formam primaevam religionis fuisse monotheisticam, polytheismum autem esse aberrationem.[1] Ex comparatione autem religionum apparet *adesse quidem evolutionem evidentem in quibusdam formis religiosis, non tamen omnia phaenomena religiosa ex sola immanenti evolutione explicari posse.* Similitudo imo et quandoque identitas materialis signorum (vg. ablutionis, unctionis) sicut et enuntiationum (vgr. assertio alicuius trinitatis in Deo) de facili admittitur, ex quo tamen nihil pro identitate formali deduci potest, cum haec ex re significata desumatur et in diversis religionibus sub eodem signo res omnino alterius rationis referantur.[2]

10. *Examen naturae hum. purae*, sed praesertim sec. illum statum, in quo in praesenti rerum ordine (in statu naturae lapsae) apparet, manifestat per religionem naturalem non expleri omnes aspirationes et exigentias ipsius. In hoc examine non est respiciendum ad exigentias naturae individualis, sed ad aspirationes communes et universales naturae hum. qua talis.

a) *Relate ad naturam puram* de facili patet, per religionem naturalem non exequi nec in actum deduci perfectam cum Deo hominis unionem. Religio namque communitas seu coniunctio hominis ad Deum est sec. servitium seu cultum. *Ius naturale pauca de his praescribit*, eaque in communi tantum. Determinatio particularis dependet a ratione individuali vel collectiva, deducendo conclusiones de his universalibus, vel determinando in particulari ea, quae de Deo tenenda, ab Ipso speranda, aut in cultu Ipsius agenda sunt. Attamen *ratio hum. in his determinandis de facili errare potest*, ita ut vera religio, naturae purae conveniens, nonnisi a paucis, post longum tempus et cum admixtione multorum errorum cognosci possit.[3] Inde desiderium fundatum, quod homines de his per quandam auctoritatem edoceantur, quod infallibiliter nonnisi a magistro Deo expectari potest. Cum autem haec instructio per media naturalia non praestetur, modo tantum supernaturali fieri potest. Supposito igitur, quod Deus hominem gratum habeat et ad suum servitium conscium creaverit, concludere possumus, *summe convenientem esse providentiam specialem circa exigentias religiosas hominis*, illumque aliquo modo instrui, vel de debito cultu Ipsi praestando edoceri. Utrum hoc fiat per inspirationem privatam unicuique dandam, an per coaduna-

[1] Cf. W. Schmidt : Der Ursprung der Gottesidee. Münster i. W.

[2] Hoc principio tamquam supremo criterio utimur in solvendis obiectionibus evolutionem Christianismi a primitivis religionibus, vel ex diversis formis Paganismi asserentibus.

[3] I. 1. 1.

tionem sub aliqua auctoritate publica, a Dei dependet libera determinatione. Ex eadem desumenda est mensura impletionis aspirationum hum. In omnibus istis Deus ex iustitia vel ex quacumque alia necessitate nihil debet conferre hominibus.

b) *Relate ad naturam lapsam*, instructio de rebus religiosis a Deo proveniens adhuc magis desiderabilis est. In hoc statu homo decursu temporis non tantum suae a Deo dependentiae, sed et alicuius apostasiae generalis, modo confuso, indeterminato, conscius fit. Ex dominio peccati actualis, malorumque moralium et physicorum suspicatur, radicem esse aegrotam ac infirmam.[1] Inde exsurgit in homine lapso desiderium liberationis ab illo malo (sc. peccato) quod coniunctionem eius cum Deo servitiumque religiosum, ad quod natura impellit, tantopere impedit. De modo et de mediis huius liberationis viribus naturalibus nihil determinare valet. Inde, quod homo lapsus Deo servire possit per liberationem a peccato, expectatur instructio Dei gratiosa.

11. Si igitur Deus ob exigentias descriptas hominibus de rebus religiosis loquatur, tunc oritur religio supernaturalis *quoad modum*, quia per magisterium Dei praeter et supra exigentias naturales hominis fit. Si vero in hac instructione praefigatur homini finis supernaturalis, per vires naturales non assequibilis, mediaque illi proportionata determinentur, tunc *religio erit supernaturalis quoad rem. Religio pure naturalis* esset, si consequentias dependentiae hominis a Deo solus homo sub generali motione Dei, absque ulla speciali illuminatione determinaret. Ex hoc nihil aliud reluceret, nisi sola dependentia servi a Domino et purum servitium absque ulteriore retributione, quia natura nihil de retributione Dei loquitur. *In religione autem supernaturali* dependentiae in esse ideoque relationi servi ad Dominum, superadditur communitas in iisdem bonis Div., ideoque relatio exsurgit filii (adoptivi) ad Patrem, amici ad amicum. His possibilitatibus circa ordinationem religionis praesuppositis, ex comparato examine religionum, pervenimus ad conclusionem, quod *in praesenti rerum ordine religio pure naturalis non existit.* Genus hum. in primo parente elevatum est ad participationem naturae Div. vocationemque ad religionem supernaturalem accepit. Per peccatum originale tamen privatum est positiva ad haec dispositione, ita ut in instinctu religioso hominis lapsi «sensus» huius privationis per modum desiderii naturalis (non puri sed derivati) operetur regulet-que exigentias religiosas. Hoc quidem scientifice ut veritas realis probari nequit, ita ut sola fide teneatur. Ex eo tamen, quod ex comparatione religionum elucet, omnes formas religionum humanitatis hic et nunc viventis circa problemata peccati et redemptionis praecipue versari, a quibus accessus ad Deum dependet, argumentum scientificum pro probabilitate reali assertionis fidei desumi potest.

[1] 3. C. Gent. 52.

12. Nomine igitur *religionis supernaturalis intelligitur summa veritatum theoreticarum* (de Deo, de eius proprietatibus, de salute, de redemptione etc.) *et practicarum* (de modo colendi Deum sec. ritum ab Ipso praescriptum, de normis moralitatis, de vita instituenda privata et publica etc.) *quae a Deo supra exigentias naturales hominis communicantur et quae determinatum finem mediaque ad illum consequendum apta proponunt.*[1]

13. Conclusio ergo huius tractatus de religione est: *subiectum Theologiae est acceptabile, quia enuntiat aliquam veritatem, relationem hominis ad Deum religiosam perfecte ordinantem*, veritatem sc. de Deo, sec. quod de salute hominis modo speciali providet mediaque apta in aliqua regula infallibili proponit. In his quae homini vel simpliciter, vel solum cum magna difficultate accessibilia sunt, auxilium praestare, est summum donum, cuius ratio generalis enuntiatur in subiecto Theologiae. Acceptabilitas haec ad solam pertinet possibilitatem ordinis logici atque de se ad formulas aliarum religionum referri posset. Ex subsequentibus inquisitionibus, ex comprehensione formulae desumptis, apparet possibilitas realis, sicut et praeeminentia formulae Christianae supra alias.

14. Sic analysis fundamentorum religionis, modorumque relationem ad Deum perficientium (ut possibiles vel non-impossibiles) perducit ad expositionem possibilitatis ordinis supernaturalis.[2]

[1] De quaestionibus particularibus ad religionem pertinentibus cf. Schütz: Dogmatika. Budapest, 1937. p. 2. squ., ubi etiam praecipui fontes assignantur.

De his obiectis Apologetica nonnisi per summa capita tractare potest, prout hoc necessarium est ad iudicium ferendum de rectitudine religionum particularium et de unice vera religione. Inquisitiones ulteriores relinquuntur scientiis subsidiariis Apologeticae.

Obligationem amplectendi religionem defendit Apologetica, negat vel pervertit Liberalismus sec. modos p. 84. expositos.

[2] Cultus religiosus latriae soli primo principio essendi et gubernandi, Deo, esse per se subsistenti, praestari potest, a quo homo, ut ens participatum sec. totum suum esse dependet. Aliis principiis huiusmodi cultum praestare, est iniuriosum Deo et significatio maximae falsitatis ontologicae. Sec. haec iudicat Apologetica de valore singularum formarum religiosarum. Cultus avorum, sanguinis, patriae vel humanitatis reiiciendus est, cum non praestetur primo principio essendi et gubernandi. Supposita subiectione ad esse per se subsistens, secundaria quoque principia essendi et gubernandi colenda sunt pietate, dulia et observantia, sed in his vel similibus primum principium et ultimum finem conspicere est idolatria.

TRACTATUS SECUNDUS.

De notione ordinis supernaturalis deque eius existentia.

15. Subiectum Theologiae repraesentat aliquam veritatem supernaturalem, quae per media cognoscendi naturalia attingi mentemque ligare non valet. Inde necessitas examinandi, num., in quonam sensu et quanam extensione de supernaturali loqui possimus. Exsistitne aliquod supernaturale in essendo, quod consequenter quoad cognoscibilitatem menti hum. in se est inaccessibile? Et si est, influxumque realem in naturam exercet, adestne possibilitas aliqua illud menti hum. proportionatum et cognoscibile reddendi? En praecipua problemata de ordine supernaturali, seu de tali dispositione in essendo et operando, sicut et de ordine veritatum, in quibus non leges naturae dominantur, nec media cognoscendi obiectiva et subiectiva naturalia mensurant cognitionem et cognoscibilitatem, sed elevatio, imo et independentia totalis ab illis legibus essendi et mediis cognoscendi. Ratio autem seu principium universaliter regens totam naturam in essendo et operando physice, sicut et in esse obiectivo, est *lex potentiae et actus.* Compositio ex his principiis in essendo, ligatio in activitate ad potentiam praeexistentem, coarctatio in esse obiectivo intensive et extensive, inseparabiliter comitantur naturam.[1] *Supernaturale sec. haec esset id, quod ab hac lege independens est*, i. e. in suo esse non est compositum ex potentia et actu, in operari non ligatur ad potentiam praeexistentem, in rationibus seminalibus naturae non continetur, et tandem in esse obiectivo non constituitur et mensuratur per aliquod principium coarctans, ideoque in se, sec. propriam veritatem, solum per seipsum est cognoscibile.[2] Sicut tamen potest seipsum manifestare in esse et operari in legibus naturae, ita et modum sui essendi et operandi sec. eminentiam supra naturam manifestare valet in phaenomenis, eventibus et in diversis communicationibus, quae sunt radii ab ipso emissi, ex quorum analysi (sicut, in Physica ex analysi spectrali) quaedam de natura et de legibus operationem eius dirigentibus desumere possumus.

16. *De esse supernaturali igitur non habemus cognitionem directam nec positivam, sed solum per negationes ad illam pervenire possumus.* Negatur id, quod est potentialitatis in natura, illud autem, quod remanet positivum et per modum actus, sec. eminentiam ei attribuitur. Sic effor-

[1] Conspectus de diversis modis naturae et naturalis vide p. 68—69. Cf. etiam p. 66.

[2] Conspectum de esse supernaturali v. p. 71

mamus conceptus negativo-positivos de ente supernaturali, qui tamen illud solum sec. possibilitatem logicam repraesentant. Repraesentatio sec. possibilitatem et veritatem realem solum ex influxu causali desumi posset. Si hoc deficiat, tota speculatio de ordine supernaturali evadit inanis fabula vel poëtica elucubratio. In parte axiologica Apologeticae solum de possibilibus conceptibus de ordine supernaturali est sermo. Quod his conceptibus res quaedam correspondeat, in parte secunda probabitur. Ideo inscripsimus huic libro: obiectivatio ordinis supernaturalis ex ambiente.

17. *Existentiam tamen realem ordinis supernaturalis sec. communem rationem essendi stricte probare possumus.* In hac propositione: Ens supernaturale exsistit, praedicatum non significat propriam rationem existendi, sed solum veritatem copulae, i. e. illam communem existentiam, quam ex insufficientia medii obiectivi et subiectivi naturalis relate ad exhauriendam omnem cognoscibilitatem totalem entis, asserimus.[1] Haec media perducunt ad cognoscendam existentiam esse per se subsistentis imo et de natura ipsius permulta communicant, non tamen sec. propriam eius veritatem, sed sec. rationes communes et analogas effectuum, in quibus relucet. Existentia eius consequenter sec. propriam veritatem apodictice probatur, quin aliquid de essentia ipsius determinate manifestetur. Inde duplicem ordinem veritatum de esse per se subsistente distinguere possumus: *a)* naturalem, prout cognoscibile est per media obiectiva naturalia, *b)* supernaturalem, prout idem esse per se subsistens mediis naturalibus inaccessibile est. *Omnia, quae illi sic sec. se, sec. propriam veritatem conveniunt, vocantur supernaturalia,* constituunt ordinem supernatutralem, quorum cognitione ratio naturalis, sec. propria media, simpliciter privatur. Haec sunt obiecta quae ad instar illius Theologiae negativae, quae incognoscibilitatem Dei simpliciter affirmat, percipi possunt. Contra istam asserimus cognitionem Dei negativo-positivam, et non admittimus privativam, qua conceptus naturales inepti essent ad hoc, quod Deum notificent. Hoc solum de natura et proprietatibus Dei asserimus, quae in virtualitate positiva illorum non continentur, ut est existentia et natura Dei propria (i. e. in semetipsa apparens, non in effectibus). Media naturalia circa ista negative se habent, nec ponunt nec auferunt cognitionem et cognoscibilitatem ipsorum. Propria virtute nihil de Deo sec. se manifestant; at nil obstat, quominus per modum instrumenti applicati, i. e. in virtute Dei, perducant ad cognitionem divinorum propriam.

18. *Existentia ordinis supernaturalis igitur sec. veritatem copulae, desumptae ex factis realibus (quinque viae, examen medii obiectivi naturalis) scientifice et apodictice probari potest.* Existentia propria *quidditasque eiusdem ordinis ex medio naturali nec per modum ambientis applicati*

[1] Cf. I. 3. 4. ad 2.

probari, imo nec per modum alicuius opinionis vel suspicionis realis, fundatae, poni potest. Pro tali cognitione media naturalia etiam per modum ambientis (quo et ex quo) solum ex applicatione instrumentali per Deum servire possunt.[1]

19. Hac occasione distinguimus esse supernaturale in absolutum (essentiale) et comparatum (participatum). De utroque loquimur in ordine statico et dynamico (in ordine sc. cognoscibilitatis et operabilitatis). De singulis membris divisionis in conspectu II. in appendice secunda enumeratis[2] Apologetica non tractat. Hoc relinquitur Theologiae Dogmaticae. In Theologia tamen fundamentali defendenda est possibilitas loquendi de diversis modis esse supernaturalis. Necessitas haec imponitur per ipsum subiectum Theologiae, in quo omnes conclusiones theologicae virtualiter continentur, quae et diversos omnino gradus supernaturalitatis repraesentant. Ita in S. Scriptura, in Traditione et in doctrina Ecclesiae, quarum defensionem Apologetica suscepit, obiecta proponuntur, quae in rationibus seminalibus naturae et in mediis cognoscendi menti hum. proportionatis non continentur. Quaestio sic exsurgit, an de his rationabiliter loqui possimus, ita ut in illis non fabulae, nec phantasmata poëtica inveniantur, sed adsit possibilitas etiam ex parte scientiae philosophicae, haec tamquam serio dicta concipiendi. Si igitur per negationem tales conceptus de diversis gradibus esse supernaturalis efformare possumus, qui nullam contradictionem in se et in ordine ad veritates naturales involvunt, pervenimus ad conclusionem apologeticam: *ex parte rationis hum. nihil obstat, quominus de rebus supernaturalibus loquamur eisque assensum praebeamus.*

20. Ideo ante omnia examinandi sunt diversi modi et gradus *possibilitatis.* Ascendendo a rationibus seminalibus naturae positivis, seu a potentia et possibilitate in natura ipsa fundata, de facili diversos gradus possibilitatis statuere possumus. Potentia enim non est ens actuale, sed possibilitas, quasi expectatio entis. Duo igitur ad rationem possibilitatis requiruntur: *a)* potentia quaedam passiva, in qua actuatio entis fit, *b)* potentia activa (seu actus), in cuius virtute actuatio fit, a qua haec expectatur. Ex comparatione horum principiorum desumuntur gradus possibilitatis. Quo fortior est virtus activa, eo minus requiritur de potentialitate passiva, ita ut pro virture infinita nulla potentia passiva praeexistens supponi debeat. Cf. Consp. III. in App. p. 70.

21. Examen diversorum graduum possibilitatis ideo est magni momenti quia consideratis legibus et rationibus seminalibus naturae elucet, an et quid in natura (ut potentia passiva) *per virtutem infinitam fieri* et absque contradictione expectari possit. Omnia quae in rationibus seminalibus sec. se et sec. proprias vires consideratis non continentur sunt *supernaturalia per participationem.* Gradus autem harum possibili-

[1] I. 12. 1. [2] V. p. 69.

tatum in ordine supernaturali ex eo desumuntur, utrum et quomodo natura ad illos constituendos concurrat. Si *in intrinseca* constitutione esse supernaturalis natura per modum causae determinantis vel fundamenti, nec per modum actus nec per modum potentiae passivae inveniatur, habetur *supernaturale quoad rem.* Si vero solum ex parte causarum extrinsecarum (efficientis et finalis) requiratur agens independens a viribus activis et passivis naturae, in quibus tamen aliquod saltem fundamentum per modum principii pure passivi inveniatur, oritur *supernaturale quoad modum.* Supernaturale quoad rem importat elevationem sive in esse, sive in operari (praesertim quantum ad constitutionem effectus producti) supra omnes vires naturae. Quod tamen duobus modis contingere potest : *a)* natura nec per modum actus, nec per modum potentiae passivae actum fundantis concurrit : *supernaturale quoad substantiam* ; *b)* natura excluditur per modum actus, non tamen per modum subiecti concurrens, non quidem acsi positive vel positivo-negative exigeret actum, vel ad illum ordinaretur, sed quia permissive et omnino benevole se habet ad illum : *supernaturale quoad subiectum.* Haec aptitudo negativa est ratio, qua natura subiectum actus (vel influxus) supernaturalis esse, aut ad talem subiectionem assumi possit, sive ex ordinabilitate ad aliquem actum (sicut anima ad gratiam), sive ex actu aliquando in natura existente (ut vita in cadavere).[1] *Supernaturale quoad modum* diversas formas et varios gradus habere potest, quae ex potentia passiva, in quam influxus supernaturalis exercetur, desumuntur. In omnibus tamen casibus requiritur, ut causa effective, vel sec. rationem causae finalis influens, nullo modo ad potentiam naturalem passivam ligetur, sed ab ipsa independenter agat.

22. Pro consideratione apologetica praesertim magni momenti sunt supernaturale quoad cognoscibilitatem, unde *ordo et gradus mysteriorum* desumitur, et supernaturale quoad operabilitatem, ex quo *classificatio miraculorum* determinatur. In omni miraculo per modum

[1] Supernaturale quoad substantiam et quoad subiectum in hoc conveniunt, quod ex parte formae utrumque excedit omnia principia naturalia, ex quibus nec quoad esse dependent, nec quoad cognoscibilitatem ex eis deduci possunt. Differunt tamen ex parte materiae seu subiecti, quatenus in supernaturali quoad substantiam nullum subiectum naturale invenitur, in supernaturali vero quoad subiectum aliqua potentia ex parte naturae, utique obedientialis, concurrit. Sic ergo supernaturale quoad subiectum est id, quod sec. formam vel actum excedit omnes exigentias naturae, attamen ipsa natura vel aliquid eius, assumitur ad hoc, quod per modum subiecti elevati sustentet actum (formam) supernaturalem, vel per modum instrumenti perficientis concurrat ad eius esse vel obiectivationem. Supernaturale quoad substantiam excludit talem concursum naturae, quae in obiectivatione ipsius pro mente hum. solum ut instrumentum disponens assumi potest. In supernaturali quoad modum natura maius fundamentum, etsi solum sec. potentiam obedientialem, praebet.

causae principalis solum esse per se subsistens operari potest.[1] Natura sec. suas vires activas vel passivas nonnisi per modum instrumenti cooperari potest et sec. hanc cooperationem stabiliuntur ordines miraculorum. Miraculum in Apologetica solum ut motivum credibilitatis consideratur. Sub hoc respectu omne miraculum, sive ordinis physici, sive ordinis moralis sufficit, dummodo ut tale certitudinaliter probari possit.

23. *Mysteria* sunt veritates in medio cognoscendi naturali sive sec. se totae, sive sec. partem (ex insufficientia medii obiectivi vel subiectivi) non contentae, quae consequenter, ut veritates reales, sec. gradum absconsionis ex sola revelatione tenentur. *Mysteria sunt igitur veritates a saeculo in Deo absconditae, quarum cognitio (obiectivatio) non committitur mediis obiectivis vel subiectivis naturae, ita ut earum communicatio a sola Dei libera dependeat voluntate et a speciali revelatione exspectetur.*

24. *Ratio absconditi* de mysteriis ideo asseritur, quia in medio naturali non continentur. Nihil tamen obstat, quominus natura in obiectivationem et cognitionem illorum aliquem influxum exerceat. Si enim nullum exerceret influxum, mysteria nec per revelationem divinam cognoscibilia reddi possent, nisi in revelatione sempiternae gloriae, quae expectatur in visione beata. Quousque tamen peregrinamur in corpore, *mysteria per media naturalia menti hum. appropinquari et coaptari debent.* Sub hoc respectu loquimur de influxu medii naturalis in cognitionem mysteriorum, qui diversus est ante et post revelationem, sicut et in eorum acceptatione per fidem. Ratio mysterii maxime servatur, si natura solum per modum instrumenti assumitur ad dictam coaptationem efficiendum.[2] Veritates sic attingibiles sunt *mysteria in sensu stricto*, quae in duos dividuntur ordines. Si media naturalia sint instrumenta (in sensu latiore) disponentia atque considerentur per modum canalis modificantis virtutem principalis agentis, i. e. solummodo perceptibilem modo hum. constituunt veritatem supernaturalem, tunc loquimur de *mysteriis simpliciter.* Si autem per modum instrumenti perficientis adhiberi possint vel adhibeantur, *mysteria sec. quid* repraesentantur. Cum hic media naturaliain virtute propria et per modum causae principalis nihil agant vel repraesentent, mysteria in sensu stricto nec ante nec post revelationem demonstrari valent. Solum quoad mysteria sec. quid post revelationem aliqua maior vel minor probabilitas ex rationibus naturalibus expectari potest, quae tamen numquam vim demonstrationis assequi potest. Cf. Consp. XIII. p. 77.

25. Si natura in cognitionem alicuius veritatis absconditae per modum causae principalis conferre potest, i. e. si media naturalia eam aut ante vel post revelationem, sive sec. se totam sive sec. partem repraesentare possunt, tunc de *mysterio solum in sensu lato* loqui possumus.

[1] I. 105. 6—8. Cf. Consp. VIII et IX. p. 73—74.

[2] De instrumento cf. schema p. 162. De mysterio cf. Consp. X—XII. p. 74—77.

Veritates, ad quas natura in tali habitudine refertur, sunt quidem mysteria per participationem, non autem, per se vel essentialiter. Gradus participationis est valde diversus sec. mensuram influxus per modum causae principalis. In illo ordine in quo medium naturale ante revelationem solum per modum suspicionis, vel sec. aliquam probabilitatem tantum veritatem quandam continet, collocantur *mysteria in sensu lato proprie.* Facta revelatione ratio absconsi per naturam propriis viribus agentem et per media cognoscendi naturalia auferri potest. Haec tamen demonstratio imperfecta manet, cum habitudo ad revelationem remaneat et ab ipsa suam firmitatem mutuet. Sic vg. demonstratio creationis temporaneae absque revelatione numquam apodictica evadere potest.[1] — In illo autem ordine, in quo medium naturale ante et post revelationem sufficit ad cognoscendas aliquas veritates, quae non per se et ratione sui assumuntur in revelationem, sed per accidens et ratione mysteriorum in sensu stricto, utpote conferentes ad eorum maiorem manifestationem, collocantur *mysteria in sensu lato improprie,* quae solum per accidens dicuntur mysteria, vel pro aliquibus personis, vel propter propinquitatem et similitudinem ad vera mysteria.

Tabellae, quae hanc illustrant materiam, inveniuntur in appendice secunda, p. 68—84.

26. Ex hucusque dictis elucet possibilitas loquendi de ordine supernaturali. Nulla contradictio in conceptibus expositis invenitur. Ideo adest possibilitas logica circa ipsos. Ex his efformamus iudicium: *ex parte ambientis (Philosophiae) subiectum Theologiae, referens obiectum supernaturale, non est reiiciendum, imo acceptationi ipsius, ut possibilitatis logicae, nihil obstat.* Quod tamen ordini supernaturali sic exposito etiam veritas realis correspondere possit, specialiter investigandum est et probari debet per demonstrationem existentiae entis supernaturalis, in quo supernaturalia fundantur, et a quo ad nos cognitio realis rerum ad istum ordinem pertinentium pervenire potest.

27. Possibilitas realis alicuius rei desumitur ex potentia quadam independente a mente considerante, quae huic fundamentum praebet pro stabilienda possibilitate excedente meram logicam connexionem conceptuum. *Pro possibilitate reali ordinis supernaturalis* vix aliud fundamentum inveniri potest, quam potentia realium mediorum cognoscendi intellectus hum. Ista tum obiective, tum subiective considerata sunt verae potentiae reales, in quibus capacitas intellectus repraesentatur. — Circumscribuntur in ipsis limites obiectorum ab intellectu attingibilium (sec. extensionem logicam) sicut et modus et gradus attingendi obiecta sec. veritatem ontologicam, ita ut ab iis dependeat tum extensio tum intensio cognitionis hum. Omnia obiecta intellectus hum. comprehenduntur nomine *luminis abstractionis,* quod subiective significat facul-

[1] Cf. Hitv. 139.[1]

tatem intellectivam ligatam ad cooperationem sensuum externorum et internorum, ex quorum operatione suum haurit obiectum proprium. Inde naturalis capacitas intellectus hum. sese extendit ad obiecta, quae sive directe sive indirecte in sensus agere possunt. Si igitur demonstrari potest existentia obiectorum, quae in sensus dicto modo agere non possunt, possibilitas realis ordinis supernaturalis ex parte medii subiectivi demonstrata apparet. Circa namque talia obiecta nec ratio individualis, nec collectiva agere ex propria virtute et sec. capacitatem naturalem valet, imo nec fluxus temporis — etiam in infinitum — hac in re quidquam mutare valet. Agitur enim de incapacitate absoluta ex parte virium naturae, quae solum per influxum agentis exterioris conferri et per novas vires expleri potest. De hac possibilitate agit Apologetica *examinando naturam intellectus*, qui sec. rationem specificam (ut est facultas animae, quae est per se forma corporis) ligatur quidem ad cooperationem sensuum, sec. tamen rationem genericam (prout est spiritus, in esse et operari a materia independens) elevari potest supra hanc legem et particeps fieri potest alterius modi intelligendi. *Sic sumitur fundamentum pro reali possibilitate ordinis supernaturalis ex medio subiectivo cognitionis hum. asserenda.* Existentia autem actualis, in qua etiam aliquid de propriis eius rationibus manifestatur, fit certa ex effectibus supernaturalibus, quatenus vel aliqui modi cognitionis apparent, quae ex medio naturali omnino non possunt explicari (ut prophetia), vel alia phaenomena (miracula) interventum virium supernaturalium ostendunt.

28. *Ex parte medii obiectivi* compertum est intellectum hum. coarctari ad ens in quidditate sensibili, hoc est ad obiectum, quod veritatem ontologicam valde coarctatam repraesentat, nec suum esse obiectivum simul manifestare potest, sed quod solum per partes (in compositione et divisione) apparet. Totus complexus horum obiectorum ens et verum participatum repraesentat, ideoque non est ratio sui, sed hoc ab esse et vero per se subsistente petit. Esse obiectivum rerum ab intellectu hum. attingibilium in formula «*esse participatum*» comprehendimus et asserimus medium cognoscendi naturale obiectivum mentis hum. esse *rationem entis participati*, i. e. entis compositi ex potentia et actu, ex esse et essentia. Capacitas naturalis intellectus hum. per hanc obiectivam rationem mensuratur. Ideo intellectus solum ad illa obiecta ferri potest, quae in virtualitate entis participati continentur. Sic coarctatur *ad rationes seminales naturae et cognitionem Auctoris harum rationum.* Ex medio naturali pervenire potest ad cognitionem eorum, quae in rationibus seminalibus continentur, de Auctore vero eorum (de esse per se subsistente) notiones tantum communes formare potest, prout sc. quoad existentiam indubie resplendet in effectibus, quoad quidditatem autem in similitudinibus eorum. Cum hac analysi medii obiectivi scientifice certa necessario coniungitur eadem certitudine

persuasio, cognoscibilitatem esse per se subsistentis (sec. proprias rationes) ex tali medio non exhauriri, imo nec aliquando exhauriri posse. Inde probata manet existentia talis ordinis essendi et veri, qui menti hum. ex proprio medio obiectivo non est accessibilis. *Medium igitur obiectivum intellectus hum. possibilitatem realem ordinis supernaturalis indubie ostendit*, existentia autem actualis, ex qua etiam de modo essendi huius ordinis quaedam patefiunt, relinquitur speciali influxui esse per se subsistentis, gloriam suam absconditam manifestantis per revelationem supernaturalem.

29. Apologeticae est medium obiectivum naturale ulterius examinare, quoad scil. virtualitatem suam potentialem. Hic quaeritur, *utrum ratio entis participati ita sit medium naturale intellectus hum., ut ipsi per nullum aliud medium veritas et coniunctio cum obiectis communicari possit.* — In hoc examine dirigimur per proprietatem nostrorum conceptuum, qua ex actu et potentia, ex comprehensione et extensione, ex universalitate metaphysica et logica componuntur. Sic invenimus rationem esse participati infinitatem quamdam repraesentare, qua sec. suam virtualitatem potentialem omnes notae, in ambitu entis quocumque modo contentae, illi coniungi possunt. Ratione huius susceptibilitatis ens commune (ratio entis participati) potest esse instrumentum pro repraesentatione etiam obiecti quoad rem summe supernaturalis. Sic non consideratur amplius per modum causae principalis agentis et moventis obiective sec. virtualitatem propriam, sed prout ponitur sub influxu superioris agentis, utentis illo ad suum finem, qui est communicatio veritatis in virtualitate entis participati non contentae. In virtualitate propria obiectivari (i. e. obiecta materialiter cognoscibilia fieri) possunt ea, quae in seminalibus rationibus naturae continentur. Sed quia haec omnia sunt similitudines esse per se subsistentis, nihil obstat, quominus assumantur etiam ad repraesentandam veritatem esse per se subsistentis, ut est in se, in quo veritas naturalis ac supernaturalis non distinguitur. Haec distinctio desumitur ex medio obiectivo, quod sec. virtualitatem propriam veritatem esse per se subsistentis imperfecte et solum sec. rationes communes repraesentat. Inde concludimus, non esse impossibilia media obiectiva, in quibus veritas esse per se subsistentis sec. proprias rationes repraesentetur.

30. Ordo horum mediorum — nondum sec. possibilitatem realem, sed solum sec. logicam — sic stabiliri potest:

a) Esse per se subsistens manifestat se sec. unionem immediatam cum mente hum. In hac communicatione medium obiectivum naturale nullum omnino influxum exercere, nec per modum instrumenti assumi potest. Iste modus correspondet visioni beatae, a Theologia catholica assertae.[1] Natura, i. e. intellectus hum. esset in hoc casu subiectum

[1] I. 12. 2.

recipiens influxum obiectivum esse per se subsistentis et eliciens sub ipso actum visionis.

b) Esse per se subsistens utitur medio obiectivo naturali ad se manifestandum sec. veritatem quidem propriam, at absconsam in similitudinibus (analogiis) naturae. Haec possibilitas fundatur in certitudine, quod veritas veritati ex parte obiecti contradicere nequit, et obscurum claro solum ex modo repraesentandi opponitur. Ideo medium imperfecte repraesentans roborari et elevari potest per influxum agentis exterioris proportionati, ut sub eius influxu perfectiorem cognitionem sec. veritatem propriam communicare valeat.

31. Supposito igitur, quod omnis veritas creata per Veritatem primam, per rationes aeternas mensuretur et quod singula media per influxum ipsius perfici possint, nihil contra usum instrumentalem medii naturalis relate ad cognitionem obiectorum supernaturalium obiici potest. Aliis verbis: *veritates supernaturales per medium naturale, ut obiecta materialia, obiectivari possunt.* Concursus hic ad obiectivationem in hoc solum consistere potest, quod Veritas prima tali modo ordinat conceptus et enuntiationes naturales, ut acies mentis ad percipiendum obiectum supernaturale dirigatur. Media (species) sic efformata ducunt ad cognitionem obiecti, ut quo et ex quo, medium tamen in quo fieri non possunt. Hoc solum conformitas cum rationibus aeternis directe in mediis repraesentata (lumen propheticum) vel auctoritas Veritatis primae testificantis (lumen fidei) praestat. Quot modis et in quonam gradu media obiectiva naturalia ad obiectivationem veritatum supernaturalium concurrere possint, videri potest ex schematibus X et XI. Nihil conferunt pro veritatibus quoad substantiam supernaturalibus obiectivandis, sed sunt sola instrumenta disponentia. In supernaturalibus quoad subiectum assumuntur ut instrumenta perficientia, ita ut in eis, tamquam in subiectis veritas supernaturalis, manifestetur atque permaneat.

32. Hic modus procedendi praesupponit *intellectum hum. esse potentiam passivam*, a qua ratio obiecti non est desumenda, sed ipse intellectus dependet ab ipso obiecto. Hoc negatur vel in dubium vocatur a diversis systematibus philosophicis, a Kant, a Subiectivismo vel ab aliquibus Idealistis. Inde contra hos defendenda est positio Philosophiae christianae. Refutatis systematibus autonomiam mentis hum. asserentibus examinandi sunt modi dicendi, qui totalem mentis hum. absorptionem per aliquod esse commune obiectivum asserunt, ut Hegelianismus, aut illam cum esse Dei identificant, ut Pantheismus. Directe contra modum nostrum procedendi arguunt, qui asserunt solum sensibile esse cognoscibile (Sensismus, Positivismus), imo praeter materiam nihil existere. His refutatis apparet, ex parte ambientis (Philosophiae) nihil obstare, quominus existentia ordinis supernaturalis scientifice probata acceptetur.

TRACTATUS TERTIUS.

De possibilitate manifestationis ordinis supernaturalis per revelationem.

33. Ex demonstratione existentiae ordinis supernaturalis mentalitas quaedam singularis oritur. Scimus quod sit, sed nihil de quidditate ipsius sec. veritatem realem statuere possumus. Inde oritur desiderium cognoscendi illum. Mens hum. sibi derelicta permulta excogitat, ex quibus oriuntur diversae formae religionum. Nullam tamen ex eis probare potest. Omnes sunt inventiones rationis hum. Adestne possibilitas, de ordine supernaturali aliquam notionem secundum realem veritatem acquirendi? En quaestio sponte exsurgens in mente hum. inquirente. Media naturalia silent, Deus interrogari non potest. Solum ex libera et gratiosa locutione Ipsius responsum expectari potest. De hac possibilitate atque de eius conditionibus debet Apologetica disputare. Locutionem Dei ad homines praeter vel supra exigentias naturales vocamus *revelationem*, quae est unicum medium communicationis cum ordine supernaturali. Pro Apologetica haec quaestio ponitur per subiectum Theologiae, quod ex mediis naturalibus iustificare non possumus. Unice ex fonte supernaturali deduci potest. *Estne possibilis locutio communicans veritates rationi naturali ignotas, vel ab ipsa non cognoscibiles?*

34. Cum communicatio veritatum supernaturalium excedat omnes exigentias naturae hum., quae in suo ordine perfecta remaneret absque cognitione earum, *necessitas absoluta revelationis seu doctrinae per speciale magisterium Div. communicatae, nullo modo asseri potest. Nec ex parte Dei talis necessitas apparet*, cum operatio ad extra, manifestatio suae gloriae, nullo modo ita cohaereat cum Ipsius natura, ut haec absque illa periret. Inde specialem rationem finalitatis assignare debemus pro possibilitate vel necessitate huius actionis Dei ad extra.

35. Fundamentum huius finalitatis probabiliter inveniri potest *in naturali desiderio beatitudinis*, quod necessario comitatur atque inquietat mentem hum., quin in possessione alicuius obiecti naturalis satiari possit.[1] Obiectum infinitum certo posset afferre quietem et satietatem, sed menti hum. mediis naturalibus inaccessibile est, quamvis capacitas circa illud operandi menti hum. nullo modo denegari possit.[2]

[1] I—II. 2—3. [2] II—II. 2. 3.

Attingit namque illud modo imperfecto per vires naturales. Inde sumitur fundamentum, utique negativum, quo asseri potest, quod forsan per auxilium extrinsecum et supernaturale circa illud operari potest. (Hac ratione loquimur de desiderio naturali videndi Deum ut est in se, quod Apologetica examinare et pro suo fine applicare debet).[1] Si igitur Deus hominem huius boni infiniti participem esse et ad beatitudinem supernaturalem perducere vellet, tunc finalitas revelationis accurate determinaretur : *homo deberet de hoc fine atque de mediis ad illum assequendum necessariis instrui.* In hac instructione consistit revelatio, cuius limites in dicta finalitate circumscribuntur et ad ea coarctantur, quae homo in ordine ad salutem cognoscere debet. Quid sit obiectum huius revelationis, in tractatu de fide exponitur. Hic sufficit notare obiectum eius principale esse salutem per Christum acquirendam, media autem ad hoc quocumque modo necessaria esse obiectum subsidiarium. Cum autem haec ordinentur ad Deum ut est in se cognoscendum et possidendum, obiectum primarium revelationis est Deus ut est in se, secundarium autem opera Dei ad extra, inter quae principalitatem habet salus hum. per Christum.

36. Supposita finalitate a Deo ex gratia volita *revelatio hypothetice necessaria* est et quidem simpliciter, *necessitate medii unici* circa finem et media salutis. Haec aliter quam per revelationem cognosci non possunt. Obiecta revelata sec. propinquitatem ad hunc finem ordinantur, ut in tractatu de fide patebit. Cum hac necessitate unici medii revelantur ad beneplacitum Dei omnia, quae sunt *veritates quoad rem supernaturales. Iste gradus necessitatis est metaphysicus,* etsi ex suppositione a fine assequendo desumptus. Veritates supernaturales quoad modum sec. minorem gradum necessitatis ingrediuntur revelationem. Pro omnibus huiusmodi revelatis necessitas ante omnia desumitur ex eo, quod habeatur certitudo circa talia obiecta. *Mysteria in sensu lato proprie* necessitate physica revelantur, quia attenta capacitate naturali hominis in ordine praesenti salutis, ergo sec. leges communes naturae, solum sic cognoscuntur. Absolute loquendo tamen et alia via pateret pro cognitione talium factorum. Ita si Deus voluisset hominem tamquam primam creaturam producere, ipse potuisset creationem temporaneam ex propria cognoscere experientia. Ideo revelatio huius facti est necessaria *necessitate medii electi.* Similiter loquendum est de existentia Angelorum. Hoc potuisset fieri per aliquos effectus naturales, ut Aristoteles opinatus est. — *Mysteria autem in sensu lato improprie* ex necessitate tantum morali, attenta incapacitate relativa naturae hum. sec. communiter contingentia, revelantur, quia absolute loquendo absque speciali instructione Dei cognosci possunt.

37. Ex his patet, cur revelatio dicatur *locutio Dei salutaris,* in-

[1] Cf. p. 63. squ.

structio sc. de his, quae ad salutem, ad finem hominis excedentem vires et exigentias naturales, ordinantur. Patet etiam, quod subiectum Theologiae iustificatur, tamquam *obiectum salutare*, in quo comprehenduntur, quae homini tamquam obiectum beatitudinis supernaturalis proponuntur, et sec. quae omnia diiudicare atque ut normas agendi assumere debet.

38. *Possibilitas revelationis* ex duobus desumitur fundamentis. Primum est *omnipotentia Dei*, qua in communicatione cum suis creaturis non ligatur ad determinata media. Sic etiam in ordine cognitionis potest ad hominem loqui immediate, absque ligatione ad rationem entis participati, indeque ipsi etiam illa communicare, quae in virtualitate medii cognoscendi naturalis non continentur. Secundum fundamentum desumiter *ex natura intellectus humani et ex medio obiectivo naturali*. Haec ita subordinantur Deo, ut iis instrumentaliter uti possit, non tantum roborando, sed et elevando ea ad esse et modum operandi supra exigentias et vires naturales, sive subiectivas sive obiectivas. Quomodo, tum in intellectu hum., tum in medio cognoscendi naturali adsit vis quaedam instrumentalis (potentia obedientialis), qua apta sunt ad hoc quod a Deo assumantur, exposuimus in tractatu antecedente sub n. 27 sequ.[1] Ex his patet, cur revelatio sit *locutio Dei supernaturalis*, non ut est actio Dei, in qua nulla distinctio inter naturale et supernaturale ponitur, sed prout passive sumitur pro receptione influxus Div.[2] Abstrahendo a natura obiectorum revelatorum, quae in diverso gradu supernaturalitatis, imo et ex se naturalia esse possunt,[3] *revelatio ipsa est supernaturalis quoad rem et quidem quoad subiectum*. Quoad modum, quatenus provenit ab agente extrinseco, influente sec. propriam finalitatem superantem exigentias naturae, est certe supernaturalis, sed etiam supernaturalitas quoad rem illi tribuenda est. Non est supernaturalis quoad substantiam, cum non producat actum vel formam, quam natura solum adducat ad mentem hum., bene tamen quoad subiectum, cum influxus revelativus utatur viribus subiectivis et obiectivis naturae per modum instrumenti perficientis, elevati ad hoc, quod sint subiecta revelationis passivae, media cognoscendi tum subiectiva tum obiectiva portantia.[4]

[1] Cf. p. 49. squ.

[2] Cf. Consp. XIV. p. 80.

[3] Cf. Consp. X—XII. p. 74—77. De revelabilibus cf. Tab. V—VI. in Hitv. post p. 200.

[4] Cf. Consp. XIII. p. 77—80.

TRACTATUS QUARTUS.

De motivis credibilitatis et credenditatis, seu de rationibus inducentibus ad acceptandam revelationem.

39. In revelatione sempiternae gloriae Deus per immediatam praesentiam manifestatur. Ideo haec immediatio per se convincit et captivat mentem hum. In revelatione autem viae Deus non est praesens in se, non videtur sub lumine Div. imparticipato, sed in lumine participato et obscurato. *Obiecta per revelationem communicata igitur semper quamdam secum ferunt obscuritatem, ita ut de ipso facto revelationis aliunde certi reddi debeamus.* Haec certitudo oriri potest vel ex immediata inspiratione Div., vel per motiva aliunde desumpta. In revelatione immediata, quae datur Prophetis, cum obiecta directe per rationes aeternas mensurentur, sufficit pro Propheta ipsa inspiratio, quam obiecta revelata ex se secum ferunt. Sed pro revelatione mediata, quae per Prophetas aliis communicatur, hoc non sufficit, quia obiecta proposita iam non mensurantur directe per rationes aeternas. Multo magis patet hoc, si propositio revelatorum fiat per magisterium hum., quod auctoritati Prophetarum sese inniti affirmat. Deus potuisset quidem quemcumque hominem immediate instruere, et revelationem tali modo communicare, sicuti Prophetis. In subiecto autem Theologiae, quod ex fontibus revelationis desumptum esse asseritur, hoc non affirmatur, imo contrarium omnino asseritur dicendo, obiecta revelata exclusive in deposito fidei, in doctrina Ecclesiae inveniri. Nulla ergo mentio fit de docibilitate immediata per inspirationem Div. Undenam possumus esse certi, quod veritates ab Ecclesia propositae a Deo oriantur? Rationes haec intimantes mentemque ad assensum praebendum his veritatibus, tamquam a Deo aliquando immediate revelatis, inducentes, vocantur motiva credibilitatis. Aliis verbis: *factum revelationis necnon eius incorrupta et infallibilis conservatio et propositio stricte probanda sunt.*

40. Hoc quidem directe et per demonstrationem propter quid fieri nequit. Agitur enim de facto, quod apodictice solum illi patet, qui illud ex propria experientia compertum habet, vel eius causas necessarias cognoscit. Utrumque est impossibile. Ex propria experientia cognoverunt Prophetae, qui iam mortui sunt. Causa vero revelationis est decretum Dei, quod nemini patet in se; indeex ipso deduci non potest.

Unde revelationem, ut factum ad Deum reducendum, solum indirecte probare possumus, demonstrando Deum testificare de veritate revelationis ab Ipso factae et nobis incorrupte communicatae. Aliis verbis: *ostendere oportet, aliquando adfuisse, imo et continuo permansisse signa quaedam decreti Div.* de executione revelationis per certas personas, quas nuntios, legatos Dei appellamus et quorum munus, docendi nomine Dei, Ecclesia continuat atque exercet.

41. Rationes ad acceptandam revelationem inducentes oportet esse *signa decreti Div.*, quod est ratio propter quid revelationis. Signum autem est repraesentatio instrumentalis ordinationis alicuius principalis agentis. Duplex est repraesentatio in signo. Una directa, quam propria possidet virtute, altera indirecta, quam ex ordinatione causae principalis habet et qua mentem ipsius manifestat. In signo apparet aliquo modo mens principalis agentis, et signum est instrumentum afferens rem significatam (mentem et praesentiam principalis agentis) ad illos, qui illud percipiunt. In signo igitur apparet virtus causae principalis. Sic etiam signa revelationis Div. talia esse debent, ut una ex parte moneant mentes percipientium de praesentia Dei, alia vero ex parte afferant ad eos virtutem Dei testificantem de veritate facti revelationis et revelatorum. *Signum materialiter* sumptum potest esse quicumque eventus sensibiliter apparens ordinis physici (vg. resuscitatio mortui), vel ordinis moralis (vg. vita Ecclesiae, vel aliqua ordinatio rationis, ut doctrina sublimis), *formaliter* autem debet habere vim manifestandi decretum et virtutem Div., i. e. esse aliquid insolitum quod non per vires naturae, sed solum ex influxu Dei producitur. *Res significata* debet esse praesentia Dei testificantis veritatem revelationis, i. e. signum illa producitur finalitate, ut manifestet Deum esse auctorem locutionis per Prophetas vel propositionis per Ecclesiam. Virtus Div. manifestatur ex natura operis producti, seu per signum formaliter sumptum, ordinatio vero ad testificationem Dei desumitur ex adiunctis (ex verbis Prophetae, ex sponsione).

42. Revelatio mediata non est *αὐτοπιστόν*-i. e. non portat in se, ab intrinseco motiva acceptationis, sed ut acceptatione digna probari debet. Argumenta moventia desumuntur ab extrinseco, ab his quae circumdant factum revelationis et ipsa revelata, quae communi nomine «*ambientis*» comprehenduntur. Examen ambientis perducit ad conclusionem: *quamvis interventus Dei in se non videatur, tamen signa eius certissima stabiliri possunt, ideo credibile, acceptabile est illud, quod tamquam doctrina revelata proponitur.* Inde veritas revelationis et revelatorum sec. *certa criteria diiudicanda* est, quae ut applicata in singulis casibus ad factum revelationis et ad acceptationem revelatorum, *motiva credibilitatis* vocantur. Ideo motiva credibilitatis sunt signa seu notae manifestantes interventum Div. circa revelata, ita ut ex ipsis cum certitudine diiudicari possit per auctoritatem proponentem ea doceri,

quae Deus revelavit. Sunt ergo vera signa notificantia revelationem; sunt vera criteria, per quae revelatio ab aliis modis communicandi secernitur et ex quibus veritas sec. communem rationem acceptabilitatis diiudicatur, et tandem sunt motiva seu rationes inducentes ad assensum revelationi et revelatis.

43. Motiva credibilitatis debent esse naturaliter, i. e. mediis scientificis cognoscibilia. In revelatione namque communicantur veritates, quae ab intrinseco, sec. evidentiam immediatem aut mediatam, a falsis discerni non possunt et unice in virtute auctoritatis Dei assensum postulant. *Haec auctoritas est consequenter motivum formale credibilitatis,* acceptabilitatis revelationis. *Sed, an adsit, et movere valeat, ex ipsa non patet.* Assensus caecus ab intellectu hum. expectari non potest, nec esset rationabilis, i. e. naturae eius consentaneus, cum in solis per se notis non requirat aliam rationem ad assensum praeter evidentiam immediatem ipsorum. In omnibus aliis enuntiationibus necessarium est aliquod principium, ex quo ad assensum procedat et in cuius virtute quietatur. Ideo requiritur, quod ex certa visione praesentiae auctoritatis Dei, cui tamquam principio inniti valeat, procedat ad assensum revelationis. Rationes hoc probantes sunt motiva credibilitatis materialia. Praesentiam enim auctoritatis Dei seu interventum Dei revelantem in se non ostendunt, sed solum ut in signis continent. Formale igitur motivum assensus ab eis expectari non potest, sed removent tantum impedimenta ipsius, quietando intellectum, quod acceptationi praesentiae auctoritatis Dei nihil obstat, imo omnino rationabile est admittere interventum Div. immediatum.

44. Sec. diversos modos, quibus interventus Div. probari potest, loquimur de motivis credibilitatis intrinsecis et extrinsecis. Agitur namque de doctrina religiosa in ratione credibilitatis constituenda. Motiva, quae ab ipsa doctrina desumuntur, eiusque originem Div. probant, vocantur intrinseca, sive determinentur ex parte obiecti (quatenus continent doctrinam sublimem, absque errore etc.), sive respiciatur ad exigentias individuales vel universales hominum, quibus annuntiatur. Motiva autem, quae ex factis vel phaenomenis praecise in testificationem interventus Div. productis desumuntur, sunt extrinseca. Valor singulorum motivorum valde diversus est. Apologeticae est hunc valorem eiusque conditiones determinare. Ideo scientifice excoli debet critica fontium revelationis, ipsius doctrinae in se et in comparatione cum aliis religionibus, critica miraculorum et prophetiarum. Haec omnia peragenda sunt sec. necessitates et exigentias temporum, prout novi insurgunt conatus intellectus vel ad destruendam revelationem, vel ex parte scientiarum novae proponuntur rationes fulcientes revelationem aut eius veritatem specietenus destruentes.

45. In omnibus motivis credibilitatis interventus immediatus Dei

eluceat oportet. Quot modis hoc possibile sit, ac quomodo manifestetur, repraesentatur in tab. VIII. appendicis II. p. 73. Probatio haec ad evidentiam, non quidem intrinsecam, sed extrinsecam, firmissima est in motivis extrinsecis, in miraculis scil. et prophetiis. Possibilitas utriusque ex independentia Dei a quacumque potentia praeexistente demonstratur. In diiudicandis igitur his factis respiciendum est ad rationes seminales, ad leges naturae. Ideo *criterium miraculi desumendum est ex elevatione supra legem potentiae et actus.* Omne agens creatum necessario ligatur ad hanc legem. Inde si aliquis eventus sensibiliter perceptibilis producatur secundum independentiam ab hac lege, interventus Divinus evidenter apparet. *In miraculis quoad substantiam et quoad subiectum* evidentia maxima assequi potest, cum potentia naturae simpliciter deficiat. *In miraculis quoad modum* non invenitur successiva actuatio. Natura namque inducendo dispositiones agit et producit effectus. Si igitur productio fiat absque hac ligatione ad successivam actuationem, evidens est interventus alicuius principii independentis a lege universalissima naturae.

46. *Quoad prophetiam* ostendendum est, solum Deum posse futura contingentia in se cognoscere. Cognitio enim alicuius eventus contingentis in suis causis est fallibilis, quousque determinatio earum ad unum non videatur. Hoc autem non potest fieri, nisi a causa prima potestatem habente supra causas secundas easque ad unum determinante, salva contingentia effectus. Talem potestatem solus Deus habet, qui consequenter suo intuitu aeterno videt effectus causarum secundarum in seipsis. Ideo prophetia, i. e. praevisio infallibilis alicuius eventus contingentis est soli Deo propria et consequenter *praedictio ipsius per Prophetas ad immediatum influxum Dei reducenda est.* In diiudicandis praedictionibus propheticis igitur respiciendum est ad contingentiam facti. Si dependeat a causis liberis inter se distantibus, propria decisione agentibus, non potest certo praevideri et praedici. Ideo certa praedictio ad influxum Dei immediatum reducenda est. Tales sunt Prophetiae in S. Scriptura contentae, in quibus plura tempore et loco valde distantia continentur, et quae ex parte agentium naturalium nullam secum ferunt necessitatem. Ideo tamquam vera motiva credibilitatis acceptabiles sunt.

47. Circa veritatem et soliditatem factorum miraculosorum, circa sensum, interpretationem et impletionem prophetiarum, variae proponi solent difficultates, quae eodem modo solvendae sunt, ac cetera argumenta contra conclusiones Apologeticae.

48. Quibus omnibus peractis deducitur conclusio: subiectum Theologiae non enuntiare aliquid impossibile, cum veritas revelationis mediatae per motiva credibilitatis inconcusse probari possit, ita ut propositioni per auctoritatem Ecclesiae, ex parte ambientis, nihil opponi possit. Quapropter revelatio immediata singulis individuis facienda

non est unicum medium, quo de locutione Dei certitudo habeatur, sed haec etiam per revelationem mediatam obtineri potest, quae eandem certitudinem secum portat in signis seu motivis concomitantibus. Apologetica axiologica ostendit, hunc secundum modum esse magis convenientem exigentiis naturae hum., in parte autem horistica probat, Deum in actuali ordine salutis hanc viam elegisse.

49. Inter motiva credibilitatis praecipuum locum obtinet evidentia de facto revelationis. Circa hoc non sufficit probabilitas, sed requiritur certitudo.[1] Ut est motivum formale, fide tenetur, ut autem motivum materiale scientifice probari potest et debet, sicut et alia motiva materialia credibilitatis. Haec probatio parere potest certitudinem moralem (quae ex se sufficit), vel physicam aut etiam metaphysicam, quae difficulter quidem, attamen, saltem indirecte, assequi potest. Ex hoc tamen nec obiectum fidei, imo nec locutio Dei, redditur visa. In hac propositione «Deus locutus est», existentia locutionis significat tantum veritatem copulae, sicut et in propositione ex quinque viis prolata «Deus est».[2] Sec. se includit tantum veritatem logice possibilem, prout tamen fulcitur per «signa» interventum Div. probantia, est veritas realis, vi argumentorum «extra animam existens». Vis autem probativa argumentorum remanet intra limites entis participati; Deum in se non manifestat. Deus repraesentatur per modum vestigii, ut cognitus quoad existentiam et operationem supernaturalem, non autem auditur vox Ipsius in se, sed in signis. Ideo evidentia materialis de facto revelationis non aufert obscuritatem fidei. Propositio igitur «Deus locutus est», prolata per signa, repraesentat compositionem intellectus hum. fulcitam per evidentiam medii cognoscendi naturalis, ideoque per solam virtualitatem et sec. extensionem eius vigentem.[3]

50. Aliud motivum credibilitatis desumitur ex sublimitate doctrinae.[4] Sublimitas ex pluribus considerari potest rationibus, quarum praecipua est elevatio doctrinae religiosae supra puras relationes terrenas, excludendo omnem anthropomorphismum, sicut et alios respectus, qui identitatem Dei cum mundo visibili quocumque modo innuerent vel suaderent. Vera doctrina religiosa debet esse theocentrica et quo magis suppeditat principia ad diiudicandum mundum, esse et fieri, sec. rationes ex Deo desumptas, tanto sublimior est. Et si hoc simpliciter proponit, ut doctrina Christi, de origine eius divina certi esse possumus, quia ex ambiente, ex ente participato hoc deduci nullo modo potest.

[1] Denz. 1171.
[2] I. 3. 4. ad. 2.
[3] Cf. Hitv. pp. 84, 225, 240.
[4] Cf. hic. p. 170. n. 54—55.

APPENDICES

a) DE INSTINCTU RELIGIOSO

b) TABELLAE

APPENDIX PRIMA.

De instinctu religioso ; de desiderio videndi Deum ut est in se, vel de appetitu ordinis supernaturalis.

1. Nomine instinctus intelligimus aliquam inclinationem ab Auctore naturae inditam, necessario ferentem ad aliquod obiectum (bonum vel finem.) Haec necessitas generaliter significat, quod aliqua causa, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere (necessitas quoad exercitium) et quidem producendo effectum certae speciei (necessitas quoad specificationem). Instinctus est ergo principium quoddam intrinsecum (naturale) in determinatis circumstantiis necessario ferens ad agendum. Sec. determinationem huius principii desumitur frustrabilitas instinctus sicut et eius deviationes a fine.

2. Sunt instinctus simpliciter ad unum determinati, ut ad conservationem vitae ; alii admittunt quandam electionem, ut instinctus ad conservationem speciei in homine,[1] alii tandem in communi dantur a natura et admittunt determinabilitatem per propriam deliberationem, ut inclinatio voluntatis ad bonum, finem in communi. Instinctus religiosus ad hoc tertium genus pertinet. Fundatur in ontologico ligamine creaturae ad Deum, quod est fortissimum et maiorem prae se fert propensionem ad suum obiectum, quam quicumque alii instinctus naturales, qui ab ipso dependent. In ratione autem facti conscii alii instinctus sunt propinquiores et maioris ponderis. Haec namque dependentia solum ex diligenti consideratione fit conscia, et hac deficiente potest ab actuali exercitio ad tempus, quoad specificationem autem, etiam permanenter impediri. Homo namque ratione utens necessario concludit ad dependentiam ab aliquo supremo principio, sed errare potest quoad determinationem ipsius.

3. In exercitio instinctus religiosi sic concepti homo tenetur sequi directionem rationis et praesertim audire et maxima cum subiectione prosequi vocem et directionem Dei loquentis ac de servitio religioso disponentis. Supra hoc fundatur possibilitas religionis naturalis, sec. determinationem iuris naturalis, et necessitas acceptandi religionem revelatam. Modernismus hoc negat, asserendo revelationem non oriri ab extrinseco, ex magisterio Div., sed unice ex continua evolutione eorum, quae in principiis immanentibus naturae hum. individualis vel

[1] Ii—II. 152. 2. ad 1.

collectivae continentur et decursu temporis vive conscia fiunt.[1] Instinctum religiosum ex principiis ontologicis agnoscere debemus, explorate autem negamus, eius autonomiam, quasi a seipso, independenter a Deo esset et sec. leges sibi immanentes determinaret ea, quae ad religionem pertinent. Est tantum signum vel vestigium totalis a Deo dependentiae, in suo exercitio et praesertim quoad specificationem dispositioni legis naturalis et divinae subiectus.

4. Instinctus religiosus ad appetitum pertinet. Appetitus autem est inclinatio consequens ad apprehensionem (ad aliquam ordinationem praecedentem). Non ergo ab appetitu determinatur obiectum, ad quod tendere debet, sed e converso, appetitus ex coaptatione ad illud accipit suum esse specificatum.[2] Haec coaptatio oritur ex apprehensione, et appetitus diversificantur sec. ordinem ad apprehensionem coaptantem. Appetitus est pondus, ferens in aliquod obiectum sec. apprehensionem praecedentem.

Divisio appetitus sec. relationem ad apprehendentem:

APPETITUS
- *naturalis:* ad apprehensionem Auctoris naturae
  - *innatus:* per modum ponderis necessario ferens (ordinans) ad obiectum absque ulla apprehensione,
  - *elicitus:* excitatus per apprehensionem
    - *absolute et efficaciter:* quatenus tum vires, tum media ita a natura determinata sunt, ut nihil deficiat ad assecutionem
    - *conditionate et inefficaciter:* quatenus vires et media a natura non sufficienter determinata sunt
- *acquisitus:* ad propriam apprehensionem
  - *sensitivus* (irrationalis): ad finem materaliter sumptum
  - *intellectivus* (rationalis): ad finem formaliter sumptum.

5. *Notae ad schema praecedens.*

a) *Appetitus naturalis* causatur ex apprehensione Auctoris naturae et tendit ad eius executionem cum quadam necessitate ab intrinseco infrustrabili et solum frustrabili ab extrinseco. Propria apprehensio nullo modo est causa huius inclinationis et tendentiae, sed ad summum occasio vel conditio, ut est in appetitu naturali elicito. Inde duplici modo iste appetitus frustrari potest: *α)* ex concursu aliarum virium naturae hanc inclinationem impedientium vel pervertentium (sicut nascuntur monstra, vel instinctus naturae ex mala consuetudine pervertuntur, ut vg. in homosexualismo); *β)* ex defectu apprehensionis (in appetitu elicito, sicut si quis non cogitat de dependentia sua a supremo Numine).

b) *Appetitus acquisitus* causatur ex propria apprehensione, ita ut

[1] Cf. Denz. 2034. sequ.

[2] Obiectivationem cognoscibilium universaliter, vel partialiter (ut existentiae Dei et aliorum noumenorum Kantii) ad voluntatem vel affectum reducit: Voluntarismus.

talis dispositio vel ordinatio de aliquo bono (fine) assequendo non sit tantum conditio, ut vires praeexistentes agant, sed est causa determinatae tendentiae, quasi acquisito virium ad inclinationem necessariarum (etiamsi generalis tendentia in inclinatione naturae fundetur et sit eius concreta determinatio).

c) *Tendere in finem materialiter* est cognoscere aliquid ut bonum assequibile, quin relatio inter finem et media videatur atque vires inclinantes ex hac visione oriantur. Sic bruta.

d) *Tendere in finem formaliter* est cognoscere finem et videre eius assequibilitatem per media, ita ut ex hac visione vires oriantur et in imperio in obiectiva determinatione manifestentur.

6. Appetitus manet naturalis, quousque vires ab Auctore naturae collatae ut tales, absque aliquo superaddito per artem (per propriam apprehensionem) per modum causae concurrunt. Ideo gradus huius appetitus ex eo determinantur, quaenam vires naturae in executione concurrant. Quo magis istae ad unum (ad finem intentum) determinatae sunt et quo magis principium non tantum sufficientiae, sed et efficaciae in seipsis possident, eo magis naturalis est appetitus. Inde pro omni appetitu naturali Auctor naturae vires sufficientes contulit, at non simul efficaces. Inde divisio in appetitum efficacem et inefficacem.

7. *Appetitus innatus semper efficax est atque ab intrinseco infrustrabilis.* Appetitus vero elicitus potest esse efficax et solum ab extrinseco frustrabilis. Sed potest esse etiam inefficax, cum ad aliquam tendentiam conditionatam sufficiat, attamen absque viribus superadditis ad finem pervenire non potest, i. e. non potest fieri aliqua intentio firma, sed remanet mera velleitas. Intentio versatur circa simpliciter possibilia, velleitas autem etiam circa impossibilia dari potest (Cf. I—II. 13. 5.), dummodo aliquod plus minusve rationabile fundamentum assequibilitatis appareat. Ideo vocantur haec obiecta : non-impossibilia.

8. Si igitur loquamur de desiderio naturali videndi Deum in se, vel de ordinatione naturali hominis ad finem supernaturalem aut de cognoscibilitate veritatum supernaturalium per intellectum hum., sensus quaestionis est : utrum in natura hum. sibi relicta adsint aliquae vires naturales, quae sec. se talem ordinationem in se includant, et quidem

a) positivam et efficacem (appetitus innatus et elicitus absolute), vel *b)* negativam i. e. permittentem aliquam roborationem per alias vires naturae (vg. ex propria apprehensione procedentem), vel elevationem (ex communicatione novae virtutis superadditae ideoque supernaturalis — ex gratia).

9. Ex hoc oritur *notio pii credulitatis affectus*, qui duplex esse potest : *a)* velleitas quaedam, qua inclinamur ad acceptandam instructionem Dei revelantis, dummodo sit possibilis. Procedit ex naturali inclinatione elicita conditionata et inefficaci ; *b)* volitio deter-

minata et efficax (pius credulitatis affectus formaliter) quae procedit ex motione gratiae et est quid supernaturale. (Cf. schema Hitv. p. 244).



10. Naturale multiplici modo dicitur:

a) Per oppositionem ad supernaturale, quod procedit a Deo Auctore gratiae,

b) Primarie: et ex consequenti.

Primarie: cuius principium est sola natura.

Secundarie et ex consequenti: quod est ex roboratione naturae (salva remanente natura) per artem (humanam vel intra limites virium naturalium), vel ex elevatione naturae, ita, ut haec qerficiatur in linea suae inclinationis naturalis (supernaturale quoad modum), vel sit solum subiectum novarum virium (supernaturale quoad subiectum).

Desiderium naturale videndi Deum in se, seu ordinatio ad finem ex necessitate naturali, et non tantum ex quadam convenientia, ad cognoscendas veritates supernaturales procedere potest:

a) *ex appetitu innato*, quatenus natura directe ordinaret hominem ad haec obiecta, praebendo illi vires *α)* efficaces: Pelagianismus; *β)* sufficientes, at inefficaces: Scotus(?).

b) *ex appetitu elicito, efficaci : α)* absolute et universaliter; Bajus, Jansenismus *β* absolute, sed respectu potentiae Dei ordinariae; status naturae purae absolute loquendo est possibilis, sed Deus sec. suam sapientiam et bonitatem ex necessitate et non ex quadam convenientia tantum ordinat ad finem supernaturalem: Augustiniani. — In natura igitur adesset ordinatio positiva ad ordinem supernaturalem, ita ut desiderium ipsius ex propriis viribus elicere posset.

c) *ex appetitu elicito inefficaci et conditionato.* Natura non ordinatur positive ad ordinem supernaturalem, sed permissive benevole se habet, nullum obstaculum ponendo influxui supernaturali agentis, ita ut

elevatio ipsius in ordinem supernaturalem non tamquam violentum quid, sed ut naturae extensio (ideoque naturale) recipiatur. Proinde positive et efficaciter ex viribus suis naturalibus nequit elicere desiderium videndi Deum in se, bene tamen ex sua inclinatione naturali ad cognoscendam causam visi effectus prona est ad conditionatum desiderium («si possibile esset») atque inefficax (ex conscientia suae naturalis impotentiae). Hoc desiderium inefficax procedit ex viribus naturae — ideo est naturale: Theologi moderni. — Vel est naturale (prout est consentaneum naturae) et efficax cognitis effectibus supernaturalibus gratiae (Cajetanus).

Ex his videtur nullum dari obicem positivum, nihil obstare — nec ex parte naturae hum., nec ex parte obiecti, — quominus homo ad ordinem supernaturalem elevetur sec. illud S. Augustini: Inquietum est cor nostrum ... Hic etiam pensandum est effatum S. Thomae I. 106. 1. ad 3. «Semper mens creata reputatur informis, nisi ipsi primae Veritati inhaereat.» Haec propositio optime illustrat doctrinam Aquinatis de naturali desiderio videndi Deum ut est in se In II—II. 2. 3. scribit: «Natura rationalis, inquantum cognoscit universalem boni et entis rationem, habet immediatum ordinem ad universale essendi principium. Perfectio ergo rationalis creaturae non solum consistit in eo, quod ei competit sec. suam naturam, sed in eo etiam, quod ei attribuitur ex quadam supernaturali participatione divinae bonitatis.» «In Deo est ultima perfectio rationalis creaturae, quod est ei principium essendi; intantum enim unumquodque est perfectum, inquantum suum principium attingit.» Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum, et ex hoc admiratio in hominibus exsurgit. Si igitur intellectus rationalis creaturae pertingere non possit ad primam causam rerum, remanebit inane desiderium naturale.»[1]

[1] I. 12. 1.

APPENDIX SECUNDA AD AXIOLOGIAM GENERALEM.

Tabellae obiecta huius libri repraesentantes.

I. Conspectus oppositionis inter «esse naturale» et alios conceptus.

Naturale: quod est sec. inclinationem alicuius rei determinatam in principio intrinseco ; quod est sec. appetitum naturalem, qui est inclinatio consequens apprehensionem (dispositionem) Auctoris naturae. Si est determinatum in hoc appetitu (naturali) sec. omnes modalitates, est sec. instinctum, est naturale simpliciter. Si autem aliquid ei superaddatur sive per artem, sive aliter explicando virtualitatem instinctus naturalis, vocatur naturale derivatum (secundarium). Si natura impediatur in sua inclinatione proportionata, oritur *innaturale*, quod aut est contra inclinationem, et vocatur violentum, ad quod natura nullam vim confert, nec in potentia eius continetur, sed totaliter a principio extrinseco infertur, aut est infra inclinationem, ex defectu concursus alicuius principii, vel ex quadam privatione, et vocatur *monstruosum*. Illud autem, quod excedit inclinationem singularum naturarum, sed non totius naturae, vocatur *praeternaturale*, ad quod producendum in *tota* natura invenitur capacitas. Id autem quod excedit inclinationes et exigentias totius naturae, est *supernaturale*. Ex inclinationibus naturalibus proportionatis desumitur *ordo naturae* sec. leges consuetas. Ex his, quae in natura modo extraordinario, tamen ex viribus naturae sive occultis, sive ex concursu speciali fiunt, constituunt *ordinem praeternaturalem*. Ea tandem, quae naturae accidunt supra exigentias inclinationis proportionatae, ad quae producenda in natura nulla capacitas passiva vel activa positive invenitur, quae consequenter in rationibus seminalibus nullo modo continentur, pertinent ad *ordinem supernaturalem*, qui non regitur per legem potentiae et actus. Unde his omnibus diversis modis et rationibus opponitur naturale.

Alius fons oppositionis desumitur ex modo, quo inclinatio ad aliquid ordinatur, seu ex dispositione principiorum essendi et operandi. Sic naturale est, cuius principia essendi et operandi consequenter et ipsi effectus producti, disponuntur ex apprehensione Auctoris naturae. Si hoc contingit ex dispositione alicuius mentis creatae, exsurgit *artifi-*

ciale. **Illud tandem, quod agit sec. potentiam ad unum determinatam, vocatur naturale, et effectus productus est *necessarius*. Quod autem habet potentiam ad utrumlibet, est liberum, sicut et effectus ab ipso producti sunt contingentes, *liberi*.**

- OPPOSITIO
  - ex parte inclinationis
    - quod est supra inclinationem proportionatam
      - singularum naturarum, sed non totius naturae: *praeternaturale*
      - totius naturae: *supernaturale*
    - quod est infra inclinationem: innaturale
      - naturae simpliciter: *violentum*
      - naturae in certis conditionibus: *monstruosum*
  - ex parte ordinationis inclinationis
    - quod procedit ex dispositione agentis creati: *artificiale*
    - quod procedit cum potentia ad oppositum: *liberum*.

II. Conspectus omnium modorum prout aliquid naturale dicitur.

Naturale hic non designat id, quod est sec. inclinationem (sec. vires et exigentias) alicuius principii intrinseci, sed id, quod est sec. inclinationem entis participati. Ens autem participatum, tum in essendo, tum in operando regitur per legem universalissimam potentiae et actus.

- NATURALE cuius principia intrinseca sunt coarctata sec. legem potentiae et actus
  - quoad esse: in ordine statico
    - ut est actus secundus
      - existentiae: quod habet esse participatum, i. e. est compositum ex essentia et existentia
      - subsistentiae:
        - physicus: quod habet subsistentiam limitatam et proportionatam suae essentiae
        - moralis: quod habet dignitatem intra limites naturae conferibilem
    - ut est actus primus, actus essentiae limitatus: principium motus et quietis limitatum
      - simpliciter: principium motus et quietis sec. leges physicas, mechanicas et chimicas: vestigia Dei
      - sec. quid: principium motus et quietis sec. leges spiritus: similitudo Dei per modum imaginis creationis.
  - quoad operari: in ordine dynamico
    - in ordine cognoscibilitatis
      - ex parte subiecti: ad quod cognoscendum capacitas subiecti cognoscentis inclinat et sese extendit
      - ex parte medii: quod per medium alicui naturae proportionatum cognosci potest
    - in ordine agibilitatis
      - quoad efficientiam: actione transeunte: diversae artes circa factibilia
      - quod finalitatem: actiones humanae ordinatae pura lege naturali et positiva humana

Componitur in suo esse ex potentia et actu, operatio vero eius est sec. transitum de potentia in actum, cum actio non identificetur cum eius essentia. In sensu magis stricto loquimur de naturali, quod sc. est secundum inclinationem entis mobilis.

III. Conspectus diversorum modorum, quibus possibile (possibilitas) dicitur.

- 1. POSSIBILITAS
  - logica
    - positiva
    - negativa
      - mixta
        - positivo-negativa : non non-possibilitas
        - negativo-positiva : non-impossibilitas negativo-positiva
      - pura : non-impossibilitas pure negativa
  - realis
- 2. POSSIBILE fundatum in potentia
  - sec. potentiam obiectivam : possibilitas logica
  - sec. potentiam realem
    - ab intrinseco actuabilem
      - sec. se totum : quatenus omnia fundamenta actuabilitatis in re inveniuntur, vel ratio actuabilitatis ab intrinseco desumitur : *possibilitas positiva*
      - partialiter, quatenus aliquod fundamentum actuabilitatis ab intrinseco et positive invenitur, tamen alia ab extrinseco petenda sunt fundamenta: *non non-impossibilitas.* Sec. potentiam positivam permissive et benevole se habet res ad actuabilitatem. *Possibilitas positivo-negativa.*
    - ab extrinseco actuabilem: possibilitas negativa
      - sec. rationem potientiae obedientialis in re suppositae, vel ex quadam capacitate, vel ex potentia antea in ipsa actuata : *non impossibilitas negativo-positiva:* res permissive, sed non ex propria inclinatione, se habet ad actuationem
      - sec. rationem purae potentiae obedientialis nec in capacitate, nec in potentia antea actuata fundata: *non impossibilitas pure negativa :* res indifferenter se habet ad actuationem.

Impossibile : negatio vel privatio fundationis alicuius potentiae. Eodem modo dividitur ac possibile. *Logice* impossibile est, quod ex notis invicem excludentibus constat. *Realiter:* pro quo nulla potentia realis nec ab intrinseco, nec ab extrinseco actuabilis invenitur. Diversi gradus impossibilitatis ex eo desumuntur, utrum res negative, privative vel contrarie (aut contradictorie) disposita sit ad actuationem. Summus gradus impossibilitatis habetur, si aliquid non habeat rationem entis, i. e. nec ab omnipotentia Dei produci possit.

IV. Conspectus omnium modorum, sec. quos supernaturale dicitur.

Supernaturale hic sumitur in oppositione ad naturale, sc. id, quod superat inclinationem (vires et exigentias) entis participati.

- SUPERNATURALE
  - quoad esse: in ordine statico
    - absolute: esse per se subsistens: natura naturans: DEUS
    - comparative, sec. participationem
      - sec. esse subsistentiae vel personae
        - physicum
          - substantiale: unio hypostatica
          - accidentale: dignitas ex charactere sacramentali et ex statibus
        - morale: dignitas ex ordinatione ad finem excellentem: vg. maternitas B. Mariae V., Apostolatus
      - sec. esse essentiae deificatae per gratiam: imago recreationis et gloriae
  - quoad operari: in ordine dynamico
    - in ordine cognoscendi (veri)
      - ex parte medii obiectivi
        - quoad rem
          - quoad substantiam: quod medio naturali nullo modo cognosci, nec post revelationem demonstrari potest: mysteria simpliciter
          - quoad subiectum: ad quod cognoscendum medium naturale per modum instrumenti assumi potest, et quod post revelationem cum aliqua probabilitate sec. convenientiam negative fundatam demonstrari potest: mysteria sec. quid
        - quoad modum
          - quod materialiter et sec. aliquam probabilitatem sec. convenientiam positivo-negative fundatam continetur in medio naturali, certitudinaliter tamen ex sola revelatione cognoscitur: mysteria late — proprie
          - quod continetur in medio naturali, sed sive ex modo cognoscendi (ex revelatione), sive ex ordinatione ad mysteria in sensu stricto trahitur ad esse supernaturale: mysteria late — improprie
      - ex parte medii subiectivi: ad quod cognoscendum subiectum non habet capacitatem seu virtutem sufficientem
    - in ordine operabilitatis (boni)
      - quoad factibilia
        - ex parte virtutis: quando in natura non est virtus sufficiens seu capacitas proportionata
        - ex parte effectus: quod ad vires naturae reduci non potest, ut miracula
      - quoad agibilia: actiones hum. mensuratae per rationes altioris ordinis.

V. Generalis divisio supernaturalis.

- SUPERNATURALE
  - quoad rem: ab intrinseco; quod non continetur in rationibus seminalibus naturae
    - quoad substantiam: ex principiis intrinsecis rei; ex parte actus vel formae superantis potentiam vel exigentiam naturae sive in essendo sive in operando
    - quoad subiectum: ex conditionibus intrinsecis rei
      - ex parte potentiae passivae (materiae, subiecti) positive non continentis esse vel effectum producendum, ea tamen per modum subiecti sustentantis
      - ex parte potentiae passivae contrarie privative dispositae respectu virium naturae
  - quoad modum: ab extrinseco; per aliud, ex adiunctione alicuius principii supernaturalis; quod continetur in rationibus seminalibus naturae, ex eis tamen solum per agens a legibus naturae independens educi potest
    - ex connexione cum aliquo principio supernaturali sec. cognoscibilitatem, vel finalitatem
    - ex praeeminentia supra leges naturae, esse et activitatem entis participati vel entis mobilis regulantes

VI. Conspectus supernaturalis quoad cognoscibilitatem.

quod ex eo sic dicitur, quia per medium naturale simpliciter vel sec. partem attingi nequit.

- SUPERNATURALE quoad cognoscibilitatem
  - quoad rem
    - quoad substantiam: mysteria simpliciter
    - quoad subiectum: mysteria sec. quid; motiva formalia credibilitatis
  - quoad modum
    - directe
      - mysteria late proprie
      - veritates naturales ex revelatione haustae vel ad finem supernaturalem ordinatae: mysteria late improprie
    - indirecte
      - positive
        - per modum conclusionis
          - ex assistentia Spiritus S.: obiecta secundaria infallibilitatis
          - ex solis naturae viribus: Theologia formalis
        - per modum fundamenti
          - praeambula fidei
          - motiva materialia credibilitatis
      - negative: quatenus ex parte naturae nihil obstat, quominus ad principia supernaturalia recurratur.

VII. Conspectus divisionis esse supernaturalis quoad cognoscibilitatem.

- SUPERNATURALE quoad cognoscibilitatem
  - quoad rem
    - quoad substantiam: ad quod attingendum medium naturale nullo modo sufficit et facta revelatione solum ut instrumentum in sensu lato concurrit; in cuius esse obiectivo formali rationes naturales non inveniuntur; ad cuius obiectivationem natura nihil confert; tota obiectivatio ad Veritatem Primam est reducenda: mysteria simpliciter
    - quoad subiectum: ad quod formaliter attingendum medium naturale non sufficit, concurrit tamen et deservit per modum instrumenti; obiectivatio materialis est a natura, formalis a Veritate prima, utente natura ut instrumento;
  - quoad modum
    - directe: ex sola revelatione cognoscibile
      - ad cuius existentiam attingendam medium naturale non sufficit, facta tamen revelatione quidditatem eius detegere valet: mysteria in sensu lato; futura contingentia
      - ad quod certitudinaliter attingendum medium naturale non sufficit, bene tamen quoad quandam probabilitatem: praeternaturalia; cogitationes cordium, obiecta sec. locum distantia.
    - indirecte: ex connexione cum mysteriis
      - per modum conclusionis: antecedenter per modum fundamenti
        - ad quod deducendum natura sufficit — ex se —: Theologia formalis
        - ex assistentia Spiritus S.: obiecta secundaria infallibilitatis
      - praeambula fidei
      - motiva materialia credibilitatis

VIII. Conspectus influxus (modi agendi) Dei actione virtualiter transeunte.

- ACTIO DIV. active sumpta
  - cum exclusione cooperationis cuiuscumque agentis creati: creatio
  - cum cooperatione creaturae
    - influxu generali: accomodando se ad rationes seminales (virtutem activam et passivam) naturae: conservatio et gubernatio naturae
    - influxu speciali: agendo extra ambitum rationum seminalium
      - supernaturaliter quoad rem
        - quoad substantiam: elevando vel transformando naturam in altiorem statum vel essendi modum: beatificatio animae; glorificatio corporis, transsubstantiatio, positio duorum corporum in eodem loco; raptus; prophetia futurorum eventuum; revelatio passiva mysteriorum simpliciter
        - quoad subiectum: utens natura vel subiecto, educendo ex eius potentia obedientiali actum in eadem non contentum, vel ad quem privative-contrarie est disposita: gratificatio viae et gloriae; obumbratio ad conceptum virginalem; resuscitatio mortui; illuminatio caeci nati, revelatio mysteriorum sec. quid
      - supernaturaliter quoad modum: utendo viribus naturae praeter vel supra leges communes naturae: inspiratio hagiographica; revelatio mysteriorum in sensu lato; curatio subitanea morborum.

IX. Conspectus miraculi quantum ad gradum supernaturalitatis.

MIRACULUM supernaturale

- **quoad rem: ex principiis intrinsecis eventus**
  - quoad substantiam: cuius actus vel forma non continetur in rationibus seminalibus naturae: eventus in cuius principiis intrinsecis natura solum per modum materiae circa quam vel in qua invenitur; quaecumque ad naturam pertinent, alio omnino statu vel modo essendi inveniuntur in eventu; ad quod efficiendum virtus totius naturae non sufficit; glorificatio corporis; duo corpora esse simul in eodem loco; partus virginalis; resurrectio ex mortuis virtute propria.
  - quoad subiectum: cuius potentia passiva non est nata vel contrarie disposita ad educendum vel portandum talem actum; eventus in quo natura invenitur per modum subiecti, quin tamen ad actum vel formam producendam ex sua nativa potentialitate aliquid conferat: conceptio virginalis; resuscitatio mortui; illuminatio caeci nat.
- **quoad modum**: eventus, cuius principia intrinseca naturalia sunt, produci tamen non potest, nisi per agens independens a legibus naturae; quod continetur in rationibus seminalibus naturae quoad substantiam, sed non quoad modum producendi i. e. sec. elevationem supra legem successivae actuationis: curatio subitanea morborum; saturatio quinque millium hominum per paucos panes; ambulare supra mare.

X. Conspectus divisionis mysterii sec. gradum supernaturalitatis.

SUPERNATURALITAS MYSTERIORUM[1]

- **quoad rem: mysteria in sensu stricto**
  - quoad substantiam: mysteria simpliciter
  - quoad subiectum: mysteria sec. quid.
- **quoad modum: mysteria in sensu lato**
  - **mixtum: mysteria in sensu lato proprie: supernaturale simpliciter, naturale sec. quid**
    - ex insufficientia absoluta medii naturalis ad stabiliendum factum (existentiam) nec in se, nec in suis causis repraesentabile: initium mundi; existentia Angelorum.
    - ex coniunctione cum aliquo supernaturali quoad rem: existentia peccati originalis; constitutio Ecclesiae.
  - **purum: mysteria in sensu lato improprie: naturale simpliciter, supernaturale per accidens**
    - ex insufficientia relativa medii obiectivi naturalis.
    - ex insufficientia medii subiectivi naturalis.

[1] Ulterior evolutio huius consp. p. 77.

Supernaturale: quod est ab agente independente a legibus et a finalitate naturae. Revelatio autem et inspiratio, ex quibus veritates religiosae hauriuntur, sunt actiones supernaturales productae a Deo, ut causa efficiente et ordinante omnia ad finem salutis hum. Inde omnes veritates religiosae a Deo derivatae supernaturales dici possunt quoad modum, quatenus sunt a Deo et quatenus ordinantur ad finem supernaturalem. Sic omnes dicuntur mysteria, quia origo praedicta, sicut et ordinatio sec. finalitatem superiorem naturaliter non sunt cognoscibiles. At non sunt omnes supernaturales quoad rem, i. e. quoad veritatem ontologicam, ideoque quoad notas, ex quibus coalescunt atque intrinsece constituuntur. Inde oritur diversus gradus absconsionis, ita ut mysteria sec. hos in esse supernaturali ordinari inter se possint. In schemate X et XII. dividimus nysteria sec. gradus supernaturalitatis, *non ex parte supernaturalitatis quoad modum, sed quoad rem.* Haec autem desumitur a comprehensione veritatum. In quonam gradu superant virtualitatem mediorum naturalium? — quaeritur. Hoc vero determinatur ex virtute eorum motiva.Vis motiva per modum obiecti attenditur sec. specificationem actus. Si igitur in aliqua veritate religiosa a Deo communicata nihil inveniatur, quod ad vim motivam mediorum naturalium reducendum sit, et ista nonnisi per modum instrumenti applicentur, tunc illa veritas rationem mysterii in sensu stricto habet et est supernaturale quoad rem. Si autem moveat etiam in virtute mediorum naturalium per modum causae principalis secundariae — utique subordinatae Deo revelanti vel inspiranti — tunc est mysterium late sumptum et supernaturale quoad modum. Gradus talium mysteriorum determinandi sunt sec. influxum mediorum naturalium. Iste influxus autem non ex eo desumendus est, quid per media naturalia tempore revelationis vel in qualicumque tempore subsequenti *de facto* cognoscatur, sed ex eo, quid absolute loquendo per ea cognoscibile sit. In mysteriis in sensu stricto evolutio cognitionis naturalis nihil mutare potest: remanent abscondita et supernaturalia quoad rem, in mysteriis late sumptis autem maior vel minor claritas assequi potest.

In hoc errat Semirationalismus, confundens mysteria stricte cum mysteriis late sumptis, indiscriminatimque asserendo, decursu temporis omnia mysteria perspicabilia fore rationi hum.

Bene tamen notandum est, media naturalia assumi in vim motivam revelatorum solummodo ex parte obiecti materialis. Formaliter enim omnia mysteria in lumine obiectivo supernaturali movent, quod est lumen propheticum vel lumen fidei.

XI. Conspectus divisionis mysterii sec. generalem rationem absconsionis.

Mysterium: veritas abscondita, in naturali medio sive sec. se tota, sive sec. partem vel modum non contenta, quae sec. ontologicam veritatem solum ex revelatione cognoscitur.

- MYSTERIUM
  - stricte, quod per nullum medium naturale per modum causae principalis repraesentari vel attingi potest
    - simpliciter, absolute: quoad rem et quoad modum: sec. totam latitudinem obiecti (quoad existentiam et quidditatem) absconditum. Medium naturale solum instrumentum disponens (canalis) esse potest: Deus in se, Incarnatio, Sacramenta quoad quidditatem.
    - sec. quid, relative, non sec. totam latitudinem obiecti: mysteria in phaenomenis creatis vel sensibilibus apparentia, ut factum Incarnationis, revelationis; elevatio in ordinem gratiae; essentia peccati originalis; factum modi operandi Sacramentorum; Ecclesia. Medium naturale assumi potest per modum instrumenti perficientis in cognitione harum veritatum.
  - late, in cuius cognitionem medium naturale per modum causae principalis sive sec. partem vel modum, sive sec. se totum perducere potest
    - proprie, directe: absconditum pro certa, non vero pro probabili cognitione
      - naturalia quoad existentiam abscondita: creatio temporanea; existentia Angelorum.
      - naturalia vel praeternaturalia ad finem supernaturalem ordinata: existentia peccati originalis; dona integritatis; constitutio Ecclesiae monarchica, hierarchica.
    - improprie, indirecte: absconditum per accidens
      - ex parte medii obiectivi sufficientis ad cognitionem obiecti quoad substantiam, non autem quoad modalitates: natura influxus Dei in voluntatem liberam.
      - ex parte medii subiectivi incapacis ad attingendum obiectum naturaliter cognoscibile tum quoad substantiam tum quoad modalitates: vg. existentia, veritas et veracitas Dei.

XII. Conspectus supernaturalitatis mysteriorum.



XIII. De habitudine veritatum naturalium ad mysteria ante et post revelationem, seu de modis quibus natura ad obiectivationem mysteriorum concurrere potest.

I. *Mysteria in sensu stricto* sunt quoad rem supernaturalia, ideoque in eorum intrinseca constitutione nihil inveniri potest, quod positive ad naturam foret reducendum, quasi natura potentiam realem activam vel passivam praeberet et ad ipsam tanquam causam principalem pertineret.

1. *Mysteria stricte, simpliciter* tum ante tum post revelationem excludunt quamcumque fundationem intrinsecam etiam remotam et pure materialem in natura. Media naturalia cognoscendi ante revelationem nec extrinsece (per modum ambientis) veritatem ontologicam talium mysteriorum proponere possunt. Si quae cogitationes circa haec occurrant, ut fit in diversis speculationibus philosophicis et religiosis de trinitate, nonnisi valorem possibilitatis, impossibilitatis vel non impossibilitatis logicae prae se ferunt, quae in potentia reali nullo modo obiectivari possunt. *Post revelationem* tamen natura per modum

ambientis argumentum pro defensione talium mysteriorum praebet, ex quo apparet huiusmodi mysteria ex parte naturae esse extrinsece (ex ambiente) pure negative non esse impossibilia.

2. *Mysteria sec. quid ante revelationem* aliquam fundationem pure negativam in natura admittunt. Visis eis, quae in natura incomplete apparent, exsurgit cogitatio de ulteriore perfectibilitate eorum. De principio autem, quod hoc complementum conferre posset, natura silet, quia in nulla potentia vel exigentia ipsius quocumque modo resplendet. Non-impossibilitas logica imo et aliqua fundatio negativa ex parte naturae asseri quidem potest, sed ad ulteriora natura assurgere non valet. Inde diversae opiniones religionum de fine ultimo hominis, de vita futura, de locutione Dei ad homines (in revelatione), de vita quadam suprahumana, quae tamen ut veritates reales obiectivari non possunt. *Post revelationem* fundatio horum mysteriorum est sec. non-impossibilitatem negativo-positivam. Negative remanent ex dictis rationibus, quia fundatio ex parte naturae est solum sec. potentiam obedientialem, positiva erit ex revelatione quae certos nos reddit de impletione desiderii naturalis, de completione naturae imperfectae, de locutione Dei in revelatione et de eius apparentia in phaenomenis creatis vel sensibilibus. Inde haec mysteria ante revelationem nullam admittunt obiectivationem (demonstrationem) realem intrinsecam, sed solum quandam fundationem extrinsecam ex parte ambientis (quae ideo non veritatem ontologicam, sed tantum diversas possibilitates vel non-impossibilitates logicas plus minusve firmas praebet.) Post revelationem autem natura aliquam remotam, materialem fundationem praebet, ex qua tamen veritas ontologica formalis non apparet, sed solum substratum, subiectum eius patefit, in quo dicta veritas ontologica menti hum. proponitur. Remanent ergo etiam post revelationem mysteria quoad rem, sc. quoad suas proprias notas vel rationes supernaturales, tamen in gradu quodam inferiore, *quoad subiectum*. Inde facta revelatione mens hum. defendendo haec mysteria non tantum ambiens scrutatur, sed aliquod principium intrinsecum ipsius, potentiam sc. obedientialem, fundatam in esse reali naturae, comparatum ad esse per se subsistens per fidem perceptum considerat. En conspectus:

- FUNDATIO mysteriorum in sensu stricto quoad veritatem ontologicam
  - extrinseca
    - nec negativa quoad mysteria simpliciter ante revelationem
    - pure negativa quoad mysteria simpliciter post revelationem, et — absolute loquendo — quoad mysteria sec. quid ante revelationem
  - intrinseca
    - nulla quoad mysteria simpliciter, nec post revelationem
    - negativo-positiva quoad mysteria sec. quid post revelationem.

II. *Mysteria in sensu lato* sunt quoad rem totaliter vel partialiter naturalia, ideoque in eorum intrinseca constitutione (quoad suas notas vel rationes) aliquid ex natura invenitur, tamquam positive fundatum in rationibus seminalibus naturae. Quoad modum autem sunt supernaturalia *a)* ex parte causae efficientis, quia ex revelatione cognoscuntur, *b)* vel ex parte causae finalis, quia ordinantur vel ad maiorem manifestationem mysteriorum in sensu stricto vel quia ad finem supernaturalem hominis disposita sunt.

1. *Mysteria in sensu lato proprie* ante revelationem non possunt certitudinaliter in natura obiectivari vel demonstrari, nisi negativo-positive, post revelationem tamen positivo-negative demonstrari valent.

2. *Mysteria in sensu lato improprie*

a) quatenus sunt abscondita propter insufficientiam medii obiectivi, ante revelationem positivo-negative obiectivari et demonstrari possunt, post revelationem autem probantur positive.

b) quatenus sunt abscondita propter insufficientiem medii subiectivi, ante et post revelationem stricte positive probari possunt.

In omnibus ergo mysteriis, quibus mens fidelis firmiter adhaeret, potest et debet *habere evidentiam extrinsecam*, quae remote fundatur in praeambulis fidei (existentia Dei, veritas et veracitas Dei aliaeque veritates de Deo naturaliter cognoscibiles), proxime autem in motivis credibilitatis, ratione quorum omne dubium aufertur circa factum revelationis, quod per certissima signa (prophetia, miracula, admirabilis vita Ecclesiae) manifestatur, sicut et per evidentiam, quod natura nullum obstaculum positivum affert, quo mysteria repugnantiam prae se ferant, et sic mens cogeretur ea credere, quia absurda sunt. Quoad intrinsecam namque constitutionem non sunt absurda, sed abscondita.

Evidentia autem intrinseca positiva est impossibilis in mysteriis in sensu stricto, ita ut solum mysteria sec. quid admittant aliquam fundationem intrinsecam negativo-positivam post revelationem. Mysteria in sensu lato in diverso gradu possunt per evidentiam intrinsecam attingi.

Evidentia: perspicuitas rei. Est *obiectiva*, si principia veritatis ontologicae sunt perspicua ; *subiectiva*, si perspicuitas se tenet ex parte cognoscentis. Subiectiva est tunc pleni valoris, si causatur ex obiectiva. Si enim ex sola dispositione cognoscentis dependet, pro ipso solo valet, pro aliis non.

Evidentia potest esse duplex : *a) intrinseca:* perspicuitas rationum (notarum) rem constituentium ; *b) extrinseca:* perspicuitas desumpta ex rationibus rem circumstantibus, cum quibus nexu causali non connectitur. Hae rationes extrinsecae circumstantes vocantur ambiens (milieu). Evidentia intrinseca est : *α) immediata*, si obiectum in se est perspicuum, ut sunt prima principia ; *β) mediata:* est perspicuitas aliunde

monstrata, a principio sc., in quo sec. nexum causalem continetur, vel ad quod sic reduci potest.

- EVIDENTIA MYSTERIORUM
  - extrinseca
    - remota: fundata in praeambulis fidei
    - proxima
      - fundata in motivis materialibus credibilitatis (miraculis, prophetiis)
      - fundata in harmonia inter ambiens et mysteria.
  - intrinseca
    - partialis
      - pure negativa: in mysteriis sec. quid ante revelationem
      - negativo-positiva: in mysteriis sec. quid post revelationem
    - totalis
      - inchoative, negativo-positive: in mysteriis in sensu lato proprie ante revelationem; positivo-negative: in iisdem post revelationem
      - perfecte
        - positivo-negativa in mysteriis in sensu lato improprie, ex insufficientia medii obiectivi ante revelationem, positiva post revelationem, saltem quoad confirmationem
        - positiva: in mysteriis per accidens, ex insufficientia medii subiectivi.

XIV. Conspectus particularium rationum revelationis prout est directiva fidei.

- REVELATIO
  - active: actio, locutio Dei manifestans ignota, abscondita (vel simpliciter vel sec. quid); locutio Dei ad creaturam rationalem de absconditis essentiae vel voluntatis Divinae.
  - passive
    - receptio locutionis Dei
      - immediata: in visione prophetica; locutio Dei recepta in mente per phantasmata et conceptus infusos
      - mediata: locutio Dei percepta in vocibus, in doctrina magistri
    - res, veritates revelatae (formatae) per influxum Dei
      - sec. se ut obiecta
        - mysteria per se
          - stricte: supernaturalia
            - simpliciter
            - sec. quid
          - late
        - per accidens: naturalia, quae cadunt sub revelatione vel ob incapacitatem subiecti, vel ad manifestationem revelatorum
      - ut proposita in enuntiationibus: dogmata

XV. Conspectus divisionis motivorum seu *signorum revelationis et credibilitatis revelatorum.*



Signa seu notae revelationis Div.: rationes manifestantes interventum Dei ad probandam veritatem doctrinae religiosae.

Criteria revelationis Div.: rationes, sec. quas vera et a Deo communicata doctrina religiosa a falsis et humanitus excogitatis discernitur.

Motiva credibilitatis: rationes inducentes ad assensum alicui doctrinae, ut a Deo revelatae. De his praecipue in assensu elicito circa obiecta fidei Div. loquimur et sec. hoc distinguimus motiva credibilitatis formalia et materialia.

Motivum credibilitatis formale: ratio inducens ad assensum propter auctoritatem Dei supernaturalem, seu acceptatio obiectorum in se obscurorum (inevidentium) unice in auctoritate Dei, prout haec in revelatione actuali manifestatur.

Motivum credibilitatis materiale: ratio inducens ad assensum, movens in veritate ambientis et auferens impedimenta fidei seu assensus formalis. Hoc dividitur sec. rationes in Tabella positas. Ambiens est, de quo rationes inducentes desumuntur (natura hum. cum suis aspirationibus, doctrina, facta miraculosa).

Quia fides non est virtus pure intellectualis, sed habet coniunctam voluntatem, etiam ea considerari debent, quae ad assensum ex parte boni et finis movent. Rationes exinde desumpte vocantur motiva credenditatis.

Motivum credenditatis: ratio inducens ad acceptandam revelationem vel ad assensum revelatis praestandum ex bonitate, pulchritudine, harmonia, altitudine vel sublimitate obiecti propositi, sicut etiam ex aliquibus virtutibus moralibus, ex obedientia, ex submissione ad maiestatem Div., ex amore erga Deum — breviter ex pio credulitatis affectu.

Est duplex:

a) materiale: ratio inducens ad assensum ex bonitate etc... cognita et diiudicata ex bonitate etc. ambientis.

b) formale: ratio inducens ad assensum ex bonitate etc. cognita et diiudicata ex bonitate etc. obiecti in ipsa bonitate etc.... Dei revelantis.

XVI. Conspectus obiectivationis materialis obiecti fidei per motiva credibilitatis.



Ambiens praebens credibilitatem materialem et proxime disponens ad fidem removendo impedimenta credendi.

NB Ex his *proprietetes mysteriorum* de facili determinari possunt.

a) Sunt *incomprehensibilia;* nullus enim intellectus creatus eorum cognoscibilitatem exhaurire potest.

b) Quoad evidentiam intrinsecam sunt *inintelligibilia* utpote in medio naturali non contenta.

c) Sunt extrinsece, ex parte ambientis, *intelligibilia.*

d) Sunt *indemonstrabilia* (ostensive ex principiis intrinsecis); defensive autem (ab extinseco, per ambiens) exponi et iustificari possunt.

Quomodo hae proprietates in singulis speciebus ∃ysteriorum verificentur, erui potest ex his. quae pp. 77—80 dicta sunt.

XVII. Liberalismum definire valde difficile est. Generaliter intendit solutionem a ligaminibus, libertatem agendi et sese evolvendi coarctantibus. Sic sec. quod vel familiam, statum vel oeconomiam etc. ex ligationibus enmancipare vult, diversas recipit formas. Respectu habito ad statum civilem, iuxta omnes liberales, societas qua talis emancipari debet a lege naturali ac positiva-divina et nullam se subiiciendi praescriptis ecclesiasticis agnoscere debet obligationem. Ex quo necessario sequitur status independentia imo et omnipotentia. Societas enim, soluta ab auctoritate divina constituitur autonoma et boni ac mali arbitra.

Conspectus Liberalismi, quatenus iste independentiam sive individualem sive collectivam a Deo significat.

- LIBERALISMUS: independentia a Deo
  - Atheismus positivus
    - sec. assertionem supremae majestatis status
    - sec. impugnationem omnis religionis
  - Atheismus negativus (permissivus): Indifferentismus
    - ut est incuria de religione
      - theoretica
      - practica
    - ut est tolerantia: Latitudinarismus
      - dogmatica
      - civilis
        - simpliciter, absque restrictione
        - sec. quid, ex circumstantiis cogentibus

LIBER SECUNDUS

AXIOLOGIA SPECIALIS

SEU

DE MEDIIS COGNOSCENDI ORDINEM SUPERNATURALEM

PER REVELATIONEM DIV. MANIFESTATUM.

INTRODUCTIO.

De lumine intellectuali.

1. Cognitis iis, quae ad existentiam et quidditatem ordinis supernaturalis pertinent, tractandum est de mediis, quibus revelatio Div. cuius possibilitas iam demonstrata fuit, ad homines infallibiliter pervenire potest. Nomine medii cognoscendi intelligimus omne id, per quod menti consideranti aliquod obiectum manifestatur. vel quod est ratio movens ad aliquod obiectum attingendum.

2. Cum autem in cognitione duo occurrant, sc. subiectum cognoscens et obiectum cognitum, merito loquimur de mediis cognoscendi subiectivis et obiectivis. *Media subiectiva* sunt, quae concurrunt ad eliciendum actum cognitionis, ex quo perfectio intellectus in actu secundo sequitur. Non sunt ea, quae cognoscuntur, sed solum principia percipiendi obiectum. Sic ipsa facultas cognoscitiva, dispositiones et habitus ipsius, species impressa. Omnia ista comprehenduntur *sub lumine subiectivo intellectuali. Media autem obiectiva* desumuntur ex parte cognoscibilium et sunt ea, quae illa quocumque modo manifestant. Generaliter sic dividuntur:

a) *Medium quo:* quod est merum instrumentum cognitionis, quin in seipso cognoscatur. Est similitudo obiecti facultatem cognoscitivam determinans (ex hac parte est medium quoque subiectivum). Sic species impressa vel etiam expressa, prout actuat mentem ad determinatum obiectum cognoscendum.

b) *Medium ex quo:* quod ex sui cognitione *repraesentat* obiectum cum ipso quocumque modo connexum. Confert cognitionem sive sec. ambiens, sive sec. connexiones causales, propriam, impropriam etc, quin tamen de eorum valore iudicium, rationem formalem praestet.[1]

c) *Medium in quo:* quod *ex sui cognitione ducit* ad obiectum in se et sec. valorem sibi convenientem attingendum sive sec. proprias, sive sec. communes rationes. Differt a medio ex quo, quod est ratio materialis repraesentans solum obiectum, medium autem in quo est principium obiectivationis, ideoque ratio formalis cognoscendi. Utrumque debet esse prius in se cognitum, sed ratio cognoscendi obiectum

[1] Cf. Hitv. tab. 2 post p. 122.

sive in se sive sec. connexa est omnino diversa. Medium enim ex quo est magis instrumentum repraesentationis obiectorum, quin intellectum quoad veritatem formalem eorum captivet. Obiecta repraesentata possunt esse realia, possibilia, impossibilia vel non-impossibilia, sed determinate nihil repraesentatur. Per medium autem in quo determinate de his iudicatur. Ideo reddit rationem formalem obiecti. Est igitur verum argumentum captivans intellectum eiusque inquisitionem terminans. Principia in se, ut vera cognita, sunt medium in quo cognitionis, in quorum cognitione simul includitur cognitio eorum, quae cum illis connexa sunt, vel ad illa reduci possunt.[1]

3. Haec distinctio est maximi momenti in cognitione ordinis supernaturalis viae, pro qua media naturalia adhibentur per modum medii quo et ex quo, numquam tamen ut medium in quo, quod semper aliquod lumen divinum, etsi obscuratum, esse debet.[2] Ideo pro intellectu Axiologiae specialis omnino necessaria est cognitio *luminis intellectualis.*

4. *Lumen* ad manifestationem pertinet. Id quod manifestatur, lumen est i. e. obiectum (seu materia), quod apparet ; id cui manifestatur lumen est tamquam percipiens materiam manifestam. Inde de hoc lumine duplici modo loqui possumus : subiective et obiective.

5. *Lumen subiectivum:* facultas percipiendi vel attingendi aliquod obiectum. Nomine facultatis intelligitur coaptatio quaedam alicuius rei (potentiae), qua obiecto uniri eiusque similitudinem in se recipere atque sec. illud esse potest.[3] Est igitur facultas reagendi in impressionem obiecti. Ideo omnis cognitio per modum actionis-passionis repraesentatur. Subiectum cognoscens patitur — sumpta passione in sensu lato — obiectum agit, imprimit, determinat. Hanc potentiam reactionis distinguimus ab entitate rei saltem ratione, cum esse dicatur absolute, lumen autem relative, in ordine sc. ad receptionem impressionis vel assimilabilitatis.

6. *Lumen obiectivum:* vis manifestandi suam entitatem. Fundatur supra entitatem, superaddit illi potentiam apparendi in suo aequivalente repraesentativo. Ideo relative dicitur et sic distinguitur ab entitate absolute sumpta. Idem est ac veritas ontologica seu veritas rei.[4]

7. *Lumen obiectivum restringitur ad entitatem rei.* Nihil enim ultra suam entitatem aliquid reale manifestare potest. Hoc exprimitur per formulam : intantum aliquid est cognoscibile, inquantum est in actu. Supra hoc fundatur cognitio rei in se (in sua actualitate) et in ambiente

[1] Utrumque medium repraesentat virtualitatem certi conceptus ut principii vel subiecti. Sed medium ex quo, hoc solum materialiter, quoad repraesentationem praestat, medium autem in quo formaliter, sec. rationes connexionis cum conceptu, in cuius virtualitate continentur, sicut et sec. ordinationem et coordinationem obiectorum inter se, quae a virtualitate erui possunt.

[2] De his cf. Hitv. p. 163 sequ. et 217[1], sicut et tabellam post p. 200

[3] I. 14. 1.

[4] Cf. hic p. 34.

(supra potentialitatem rei). *Lumen subiectivum* maiorem vel minorem habet amplitudinem sec. entitatem rei. Non enim est mera potentia recipiendi propriam similitudinem, sed et similitudinem aliarum rerum. Quanto igitur entitas rei maiorem coaptibilitatem secum fert, tanto maius et fortius est lumen eius subiectivum quoad extensionem. Quoad intensionem haec vis consideratur ex puritate luminis et ex absentia agentium prohibentium et impedientium (sicut in intellectu hum.). Nihilominus quaelibet facultas cognoscitiva proportionatur suo obiecto, et ex hoc desumitur obiectum proportionatum, cui sc. facultas ex sua naturali coaptatione assimilari potest, quin quocumque modo roborari atque auxilium exterius recipere debeat. *Facultas cognoscitiva est coarctata*, si extra limites suae potentiae nec per roborationem ferri possit. Sic sensus. Si autem extra limites suos naturales extendi valeat, tunc praeter obiectum proportionatum et extensivum seu adaequatum habet (sicut intellectus creatus), ad quod attingendum indiget novo lumine (transeunte — per modum dispositionis, vel permanente — per modum habitus, imo et quandoque extensione suae potentiae). Hoc lumen superadditum, quod non in actualitate, sed in potentialitate facultatis fundatur, vocamus roborationem, quandoque elevationem potentiae cognoscitivae. *Elevatio* est extensio luminis intellectualis ultra potentiam naturalem facultatis, *roboratio* autem locum habet, tum intra, tum extra limites potentiae naturalis.

8. *Lumen subiectivum naturale* est potentia recipiendi impressionem obiecti proportionati. Sic visus proportionatur colori, auditus sono, intellectus hum. entitati in quidditate sensibili. *Lumen subiectivum praeternaturale* est fulgor luminis naturalis oriens ex amotione impedimentorum exercitium potentiae proportionatae coërcentium (phaenomena parapsychica) vel ex influentia causarum occultarum. *Lumen subiectivum supernaturale* est perspicacitas seu acies facultatis cognoscitivae ad percipienda obiecta ultra extensionem obiecti proportionati posita, in seipsis, sec. propriam veritatem formalem.[1] Hoc lumen supernaturale etiam lumen divinum appellatur et in tribus formis notum est: lumen gloriae, propheticum, fidei. *Lumen gloriae* reddit intellectum ad recipiendam immediatam irradiationem Essentiae Div. capacem et habilem. *Lumen propheticum:* reddit intellectum penetrativum ad percipienda obiecta a Deo revelata in seipsis. *Lumen fidei:* habilitas intellectus ad acceptanda cum firmo assensu obiecta in testificatione (auctoritate) Dei apparentia.

9. *Lumen obiectivum:* perspicuitas rei inducens facultatem cognoscitivam ad assimilationem; est vis quaedam captivans, cogens facul-

[1] In seipsis = non in alio ut in ambiente, sed ut in medio actu—formaliter vel virtualiter—continente, ita ut obiecta in seipsis manifestentur sec. propriam veritatem, licet ex parte medii in alio et sec. communem veritatem appareant.

tatem ad esse sec. obiectum (ad acceptandum, assentiendum etc.). Perspicuitas haec est ratio cognita (obiectum quod) et per suam manifestationem inducens ad assimilationem vel ad obiectum admittendum (obiectum quo). Extensio eius consideratur tum ex entitate rei absoluta, tum ex relationibus actualibus quas ad alia obiecta habet. Haec enim omnia sunt in obiecto actu, ideoque cognoscibilia sunt, i. e. inducere valent assimilationem (esse intentionale sec. formam alterius) facultatis cognoscitivae. Diversae perspicuitates ad invicem irreductibiles specifice inter se differunt et specifice distinctam designant cognoscibilitatem.

10. Supremum genus cognoscibilitatis consistit in perspicuitate seu in virtute inducendi assimilationem. Inquantum inducit virtute propria (per suam actualem, absolutam et relativam entitatem), repraesentat *lumen obiectivum naturale*, quatenus hoc fit sub influxu superioris luminis, ipsa re instrumentaliter concurrente habetur, *lumen praeternaturale* vel *supernaturale*, sec. quod ex propria virtute plus minusve influit. *Lumen praeternaturale* est ratio illustrans vel inducens intra limites naturae, at cum admixtione rationum incertae originis imo et significationis. «Rationes» desumuntur vel ex notis phantasmatum et idearum, vel ex earum speciali ordinatione atque ex fine, ad quem ordinantur. Haec omnia remanent intra limites naturae, finis vero est obscurus.

11. *Lumen supernaturale:* quod etiam Divinum appellatur, est ratio inducens propter motivum omnem rationem entis in quidditate sensibili, imo et virtualitatem cuiuslibet entis creati vel creabilis superans, i. e. perceptibilitas et perspicuitas obiecti in Veritate prima. Si obiecta videantur in ipsa prima Veritate in se (in Essentia Div.) habetur *visio beata*, et ipsum lumen est essentialiter Div. In ceteris modis communicandi veritates, lumini naturali inaccessibiles, medium cognoscendi est lumen Div. participatum seu obscuratum. Media namque naturalia a Deo assumuntur per modum instrumenti ad hoc, ut mens hum. in cognitionem veritatum supernaturalium perveniat. Cum totus iste usus ad Veritatem primam, ut causam principalem reducatur, i. e. obiecta etiam materialiter formentur sec. similitudinem rationum aeternarum, ex parte rei repraesentatae omnes modi possibiles eundem valorem et infallibilitatem habent, imo ex parte medii in quo, nonnisi in aliqua ratione formali cognoscendi percipiuntur atque captivant mentem, quae virtualitatem entis participati omnino superat. Ideo singuli modi inter se distinguuntur sec. modum obiectivationis, qui dupliciter repraesentari potest.

a) *Obiecta praesentantur in speculo aeternitatis*,[1] i. e. media cognoscendi repraesentant obiecta sec. praesentialitatem, quam habent in conspectu Dei. Hoc vocatur *lumen propheticum*. Media cognoscendi sic a Deo coaptantur, ut in eis resplendeant rationes aeternae, immediate mensurantes obiecta. In hoc casu ratio coniungens mentem Prophetae

[1] De speculo aeternitatis cf. hic p. 155[4].

cum obiecto (medium obiectivum) est species immediate ad similitudinem rationum aeternarum a Deo efformata et menti Prophetae infusa. Hoc lumen Div. igitur tum ex parte obiecti materialis tum ex parte formalis rationis cognoscendi (quod est praesentialitas in aeternitate et conformitas cum rationibus aeternis in ipso obiecto expressa et a Propheta percepta) mentem Prophetae ex influxu Dei utentis his speciebus ab Ipso efformatis immediate coniungit cum scientia Dei. Ideo copula, quae in talibus enuntiationibus interponitur, immediate ad scientiam Dei refert; «haec dicit Dominus... vidi Dominum». In cognitione prophetica mediatur lumen Div., quatenus obiectum communicatum sec. suam praesentiam in aeternitate nullo lumine naturali attingi potest. Ex hac parte lumen propheticum est lumen Div. Cum tamen media naturalia per modum instrumenti disponentis vel perficientis adhibeantur, lumen Div. non est purum, sed per dicta media obscuratum.

b) *Obiecta praesentantur in sola auctoritate Dei* seu *Veritatis primae testificantis.* Non ergo manifestantur sec. illam praesentiam quam habent in aeternitate, nec. sec. immediatam conformitatem cum rationibus aeternis, sed de his testatur sola auctoritas Dei, ex qua tum veritas realis obiectorum, tum eorum infallibilis certitudo desumitur. Hoc est *lumen Div. obscuratum fidei.* Est lumen Div., quia sola auctoritas Dei, excluso omni alio motivo vel ratione cognoscendi naturali, inducit ad assensum praebendum (ideo auctoritas Dei est unicum medium in quo); est obscuratum, quia obiecta materialia praesentantur per media naturalia (quae ut medium quo et ex quo concurrunt), et in obiecta formalia non transeunt, nisi sub influxu Veritatis primae loquentis et media naturalia per modum instrumenti adhibentis in assensu formali.

12. Finis inquisitionis Axiologiae generalis erat determinare, an rationabiliter poni possit existentia ordinis supernaturalis et communicatio cum ipso. Conclusio erat: haec omnia in subiecto Theologiae inclusa sec. principia rationis naturalis acceptari possunt. Tum revelatio immediata, tum mediata sufficienter iustificari possunt per media sic dicta «motiva credibilitatis». Aliis verbis: *subiectum Theologiae haustum ex aliqua - ut asseritur - revelatione mediata et enuntians iustificationem talis revelationis, ex parte ambientis non est impossibile.* Revelatio mediata seu interventus Div. sive in dictis Prophetarum, sive in doctrina Ecclesiae sufficienter probari potest per signa et criteria ex ambiente desumpta et ad assensum moventia. — Finis Axiologiae specialis est determinare singillatim illos modos possibiles, sec. quos revelatio ad homines pervenit, illosque infallibiliter de veritatibus Div. edocet. Ideo conclusio Axiologiae specialis esse debet: subiectum Theologiae non enuntiat impossibile, cum, considerato ambiente, media cognitionis proportionata ad infallibiliter percipiendam, transmittendam, conservandam atque tenendam revelationem rationabiliter excogi-

tari atque ut possibilia vel saltem non-impossibilia poni possint. In Axiologia speciali haec media cognoscendi subiectiva et obiectiva examinanda sunt, et si appareant talia, quae capacitati naturali mediorum naturalium non contradicant, possibilitas vel non-impossibilitas percipiendi revelationem immediatam vel mediatam agnoscenda est,ita ut sec. haec principia, fontes concreti revelationis indubie diiudicari possint.

13. Principium supremum has investigationes dirigens atque pervadens est: *causa principalis mediorum cognoscendi revelationem debet esse Deus ut est in se, seu lumen Div., in quo proponuntur obiecta materialia sec. ordinationem Div. sapientiae, ita ut media naturalia sint rationes cognoscendi ut quo et ex quo.* Talis igitur requiritur dispositio eorum, ut ex iis acies mentis ad repraesentationem obiecti supernaturalis dirigatur. Ratio autem formalis cognoscendi debet esse non tantum quoad modum, sed etiam quoad rem supernaturalis, ita ut excluso omni motivo naturali, in suo esse obiectivo moveat ad assensum. Aliis verbis: copula talium enuntiationum non repraesentat ens commune vel participatum, sed esse obiectivum Dei.

14. Revelatio autem Div. aut est immediata, ut percipienda, aut est mediata, ut infallibiliter transmittenda in scripto vel in verbo, vel tandem ut communicanda per magisterium et ut percipienda atque firmiter tenenda «ex auditu». Inde tractatus Axiologiae specialis trifariam dividuntur. Primo agitur de mediis cognoscendi revelationem immediatam, seu de prophetia. Secundo de mediis transmittendi infallibiliter revelationem propheticam, seu de inspiratione et de traditione ex assistentia Spiritus Sancti firmitatem habente. Tertio de medio cognoscendi revelationem sic transmissam, seu de fide. Haec omnia determinantur in hac parte quoad possibilitatem vel non-impossibilitatem. An haec etiam in concreto sic facta fuerint, ex examine fontium revelationis desumetur. Ideo fontes isti prius iustificari debent, tamquam historice acceptabiles et per motiva credibilitatis probati, postea apparebit, an media cognoscendi, ex parte ambientis admissibilia, de facto influxum habuerint, fuerintque reapse media influxus Div.

15. Omnes modi cognoscendi supernaturales in hoc conveniunt, quod *obiective immediate mensurentur per rationes aeternas, sive ratione auctoritatis proponentis,*[1] *sive ratione obiecti hanc commensurationem per seipsum manifestantis.* Subiective autem, seu ut sunt passiones mentis hum., vel ut considerantur tamquam effectus influxus Div., motiones passive acceptae, ad genus inspirationis reducuntur. *In hoc sensu generali inspiratio* est applicatio mentis ad aliquid percipiendum vel agendum non ex propria industria, sed ex influxu exterioris agentis. Sec. distin-

[1] Non enim mensurantur per ens in quidditate sensibili, nec in lumine abstractionis videntur. Haec duo mediant inter cognitionem naturalem et rationes aeternas. Si igitur auferantur, vel illis mens non utatur, cognitio immediate per rationes aeternas mensuratur, sed diversimode, sec. distinctionem formalium rationum cognoscendi, ut in textu describitur.

ctionem exteriorum agentium atque sec. diversam finalitatem ipsorum, desumuntur genera et species inspirationis. Ex his sola inspiratio Div. nostri interest, cuius principium extrinsecum est Ipse Deus, finis vero salus hominis.

16. *Haec inspiratio triplici modo repraesentari potest: a)* confert tum obiectum materiale sec infusionem, tum rationem formalem cognoscendi sec. iudicium infallibile : sic in prophetia ; *b)* movet quoad iudicium infallibile : inspiratio hagiographica et assistentia ; *c)* movet ad assensum revelatis praebendum sec. formalem rationem veritatis: sic in fide, quae Dei aspirante gratia assentit et ipsa Veritas prima organice apparet menti fideli, sicut prima principia in cognitione naturali. Inspiratio sic concepta maximam extensionem habet in prophetia, minimam in fide. Medio modo se habet inspiratio hagiographica, quae antonomastice sic vocatur.

Conspectus inspirationis, prout est motio ab extrinseco applicans ad agendum vel considerandum.



TRACTATUS PRIMUS.

De medio cognoscendi revelationem immediatam seu de prophetia.

17. Utrum revelatio immediata possibilis sit, ex eo dependet, an sit aliquod agens, quod intellectum creatum aliis mediis ad suam perducere valet perfectionem, quam sunt media illi proportionata.Tale agens est Deus. Quomodo haec media in se constituantur, nonnisi per negationes determinare valemus. Analysi subiicimus omnia media naturalia, unde apparet, an et in quanam extensione per modum instrumenti servire possint, quid in iis suppleri debeat, ut ad locutionem Dei immediatam percipiendam apta sint. Duce S. Thoma II—II. 171 sequ. examinantur quaestiones: *a)* quid sit prophetia; *b)* quaenam causa ipsius; *c)* qualis modus cognitionis propheticae, et tandem *d)* quomodo dividatur.

18. Ut veritates revelatae sec. infallibilem certitudinem ad nos perveniant, omnia media cognoscendi debent stare sub immediato influxu Dei ordinantis, ita ut Deus sit auctor principalis omnis communicationis, media autem creata applicentur solum per modum instrumenti. Hoc principium valet de singulis modis cognoscendi, ratio tamen instrumentalitatis variatur in mediis sec. exigentias diversorum modorum. Essentiale est in omnibus communicatio infallibilis, quae a solo intuitu aeterno et invariabili Dei desumi potest. Hic modus communicandi et cognoscendi infallibilis praecipue in revelatione immediata est necessarius, quia ab ipsa derivatur certitudo in omnes alios modos. In Apologetica agimus de revelatione, quae est in utilitatem totius generis hum, a Christo redimendi. Media cognoscendi eadem manent in revelatione etiam privata, deest tamen illis ordinatio ad bonum commune Ecclesiae. Ideo ad hoc quod aliquis sit instrumentum revelationis publicae plus requiritur, quam pro revelatione privata, quae per solam perceptionem perfecta esse potest. Ad revelationem immediatam publicam insuper necessaria est locutio seu traditio infallibilis veritatum per revelationem acceptarum, sicut et confirmatio interventus Div. in acceptione revelatorum. In his omnibus personae revelationem immediatam recipientes pura instrumenta (etsi animata et seipsa sub influxu Dei moventia) esse debent. Ideo merito vocantur Prophetae (ex *προφημι*) i. e. in nomine et auctoritate Dei loquentes vel Videntes (hebraice róe, chóze), qui ea communicant, ad quorum perceptionem vel visionem ab extrinseco

determinantur, vel tandem illuminati, inspirati (Nábi), qui ex superabundanti affectu et extrinseca affectione loquuntur.

19. Ad rationem ergo revelationis immediatae publicae tria requiruntur: *a)* Acceptio revelatorum ex influxu Dei, sicut et perceptio eorum sec. iudicium infallibile; hoc est essentiale pro cognitione prophetica. *b)* Communicatio aliis facta, seu praedicatio prophetica. Hoc etiam ita fieri debet, ut propheta infallibiliter tradat ea, quae vidit. Auctor principalis talis locutionis est Deus, propheta vero instrumentum eo modo, quo Hagiographus est instrumentum Dei in scribendo. *c)* Confirmatio prophetiae per miracula a Propheta patrata, vel per impletionem alicuius futuri contingentis a Propheta praedicti.

20. *Obiectum materiale revelationis immediatae* seu cognitionis propheticae potest esse omne id, quod a Deo cognoscitur.[1] In praesenti rerum ordine autem ad ea tantum refertur, quae ad salutem hominis lapsi ordinantur. Inde obiectum primarium revelationis Div. huius viae est *Deus in se, ut providens saluti supernaturali hominis.* In hoc obiecto, tamquam primo credibili a S. Paulo determinato[2] continentur omnia obiecta revelabilia et revelanda. Sec. propinquitatem ad ipsum ordinantur inter se, ut obiecta secundaria revelationis. Inter ista primum locum tenet Salvator generis hum., Jesus Christus, qui est obiectum principale revelationis, ut est Verbum incarnatum, in suo esse personali necnon in suo opere, quod est redemptio, cetera vero quae cum Ipso connectuntur, sunt obiecta subsidiaria revelationis, ut sunt Sacramenta et Ecclesia. Cum autem Christus in revelatione appareat tamquam Primogenitus omnis creaturae, ad gloriam Ipsius manifestandam ordinatur tota creatio. Inde ea, quae ad creationem pertinent, intantum sunt obiecta revelationis, inquantum ad gloriam Christi ordinantur. Sic angeli, homines et creaturae irrationales. Ex parte revelabilium (ut obiectorum materialium) perfectio prophetiae ex eo attenditur, utrum habeant propriam cognoscibilitatem, necne. Omnia conveniunt in hoc, quod sunt procul a cognitione hum., i. e. propriis viribus naturae attingi non possunt. Inde derivatio nominis Prophetae a procul vidente. Inter obiecta tamen prophetiae inveniuntur quaedam, quae in se nullam habent cognoscibilitatem, sc. futura contingentia. Ideo cognitio certa circa ista perfectissime redolet rationem prophetiae, quia ista soli conspectui Dei aeterno sunt accessibilia atque in praesentia aeternitatis perceptibilia. Communicatio cognitionis certae futurorum contingentium non est quidem maximum Dei donum, quantum ad valorem obiectorum, bene tamen in genere prophetiae. Quoad valorem revelatio mensuratur sec. dignitatem obiectorum et sec. rationem absconditi in mysteriis inventi.[3]

[1] Cf. Hitv tab. V—VI post p. 200.

[2] Ad Hebr. 11, 6.

[3] Cf. Tab. XI. p. 76.

21. *Ratio formalis cognoscendi obiectiva prophetiae* est praesentia aeternitatis, i. e. talis obiectorum revelatorum coaptatio atque manifestatio menti Prophetae facta, ex qua illorum conformitas cum rationibus aeternis immediate elucescat. Negative est exclusio luminis obiectivi abstractionis, positive vero talis ordinatio specierum, qua in sua veritate reali immediate per rationes aeternas mensurantur. Inde *obiectum formale quod prophetiae* est aliquid simpliciter vel sec. partem absconditum (mysterium) in praesentia aeternitatis, seu sec. immediatam conformitatem cum rationibus aeternis perceptum et infallibiliter diiudicatum.

22. *Ratio formalis cognoscendi subiectiva prophetiae* est lumen intellectuale, ut sic, menti Prophetae infusum per modum formae transeuntis et vialis, elevans illam ad percipienda et diiudicanda obiecta revelata sec. rationes aeternas. Ex his omnibus simul sumptis apparet, adesse modum, quo infallibilis communicatio mysteriorum per revelationem immediatam fieri potest.

23. *Ratio ignoti* salvatur in omni obiecto revelato, etiamsi antea a Propheta materialiter cognoscebatur Quoad mysteria in sensu stricto. patet, quia non sunt cognoscibilia nisi per revelationem. Cetera autem saltem sec. ordinationem ad obiectum primarium vel principale sunt ignota, ita ut sec. habitudinem solum ex revelatione cognoscantur. Similiter *esse supernaturale* convenit omnibus obiectis revelatis. Sec. se possunt esse supernaturalia quoad rem vel quoad modum, prout natura mysteriorum requirit, sec. tamen ordinationem ad finem revelationis etiam obiecta naturaliter cognoscibilia sunt supernaturalia quoad modum, cum ordinatio ad maiorem manifestationem revelatorum primariorum vel principalium sit quid supernaturale.

- OBIECTA PROPHETIAE II—II. 171. 3.
  - in se cognoscibilia, sed ex parte medii naturalis inaccessibilia
    - sec. quid: cogitationes cordium, distantia sec. locum
    - simpliciter
      - absolute: mysteria in sensu stricto
      - comparative: alia obiecta sec. ordinationem ad finem revelationis
  - in se non cognoscibilia, quia non sunt in se, sed solum in suis causis: futura contingentia, quae a decreto Dei libero dependent et soli illi patefieri possunt, cui Deus illa communicat

Inde *prophetia sec. suam essentiam* et sec. communem acceptionem est quaedam cognitio intellectui Prophetae impressa ex revelatione Div. per modum cuiusdam doctrinae. II—II. 171. 6. Propriissime autem designat cognitionem futurorum contingentium. Ib. a. 3.

24. Prophetia pertinet ad genus revelationis et, inquantum est huius viae et datur mediis naturalibus instrumentaliter cooperantibus, est quid imperfectum in genere revelationis. In genere autem prophetiae est illa cognitio perfecta, quae refert obiecta in schemate enuntiata et a revelatione immediate accepta. Inspiratio hagiographica est quid imperfectum in genere prophetiae, cum acceptionem immediatam non necessario expostulet. Assensus tandem revelationi mediatae praestitus per fidem, ex se non pertinet ad genus prophetiae, nisi causaliter, cum sit firmus assensus praestitus illis obiectis, quae a Prophetis videbantur et per certissima signa ad scientiam Dei reducuntur.

REVELATIO
- immediata
  - perfecta: ex visione ipsius principii (Essentiae Div.) in se cogniti: II—II. 171. 4.: Visio beata
  - imperfecta: procedens non ex visione principii in se cogniti, sed ex communicatione obiectorum ad beneplacitum Dei electorum in lumine Div. prophetico, sec. praesentiam eorum in aeternitate et sec. mensurationem immediatam per rationes aeternas: revelatio ut est obiectum prophetiae huius vitae temporalis
- mediata
  - ut scripto consignanda sub lumine inspirationis hagiographicae
  - ut propositio auctoritativa per Prophetas, per legatos Dei vel per Ecclesiam, atque ad auctoritatem Dei provocans ac in virtute ipsius postulans assensum, supposita confirmatione per certissima signa probante interventum Div. revelantem: revelatio ut est obiectum fidei Div.

Tres modi posteriores cognoscendi revelationem toto coelo (ordine) differunt a revelatione perfecta Patriae, ut patet. Procedunt ex participatione luminis Div.; fiunt in lumine Div. obscurato, quod est genus commune ipsorum. Ceteroquin inter se specie differunt. Ex eo, quod in lumine Div. fiunt, sequitur, quod copula enuntiationum in omnibus casibus est repraesentatio esse Div. sec. rationem primae Veritatis. Cum tamen Veritas prima, quae est principium cognoscendi revelatorum, in seipsa non videatur, debet assignari ratio seu fundamentum, cur obiecta proposita cum Ipsa coniungantur, seu cur copula provocans ad esse Div. interponatur. Sec. quod ista ratio multiplicatur et fundamentum coniunctionis specie diversum praebet, et modi cognoscendi revelationem specie inter se differunt.

25. Ex eo, quod principium in se non videtur, omnes isti tres modi ad fidem reducuntur, quatenus fides est de non visis, de obscuris, de inevidentibus. Sed iam ipsa ratio «non visi» est diversa in singulis. Ob-

iecta in se sunt non visa, sed conformitas illorum cum scientia Dei est in prophetia visa simul cum obiecto percepto absque ullo recursu ad ambiens. Media namque cognoscendi sunt directae imitationes rationum aeternarum, sicut et species angelicae. Ideo intrinsece secum portant vim captivandi intellectum in virtute Veritatis primae, cuius termini connotati sunt rationes aeternae. *Ratio seu fundamentum coniungendi obiecta cum Veritate prima est ipsa immediata conformitas cum rationibus aeternis.* Mensura inferior non sufficit ad obiectivationem talium obiectorum, superior vero non datur. Inde motivum formale seu ratio inducens ad assensum in revelatione immediata est *obiectivatio veritatum communicatarum in ipsis rationibus aeternis absque ullo intermedio.* Obiectum revelatum ex hoc non redditur in se visum, sed sola vis eius motiva in rationibus aeternis est visa. Inde certitudo maxima et exclusio omnis falsitatis in prophetia. Factum revelationis a Propheta videtur ex conformitate percepta cum rationibus aeternis. Ideo in hac propositione a Propheta formata: «Deus mihi loquitur» copula coniungens cum Veritate prima desumitur ex conformitate cum rationibus aeternis, non tamen repraesentat ipsum esse Div. in se visum, sed illud positum ex dicta ratione. Inde Propheta cognoscit factum revelationis ex visione quidem, at non formaliter, sed materialiter tantum. *Formaliter est creditum, materialiter est visum, immediate tamen, ut in sua causa, et non mediate, ut in ambiente.* Fides, qua Propheta tenet revelata, est lucida propter directam et immediatam perspicuitatem motivi credibilitatis, et est obscura solum ex inevidentia obiecti sec. se et propter velamen, quod principium cognoscendi (Veritatem primam in se) tegit. Ideo specie differt ab illa fide Div., qua revelatio mediata perceptibilis est atque firmiter tenetur. *Obiecta revelationis mediatae namque non mensurantur immediate per rationes aeternas, sed per auctoritatem Dei aliquando de facto revelantem.* Factum igitur revelationis nec materialiter est directe et immediate visum, sicut in revelatione immediata, sed indirecte tantum apparet in signis, in ambiente. In ambiente autem non continetur aliud, sicut in causa i. e. virtualiter, sed solum in potentia et permissive: acceptationi sc. nihil obstat, imo rationabilis esse videtur. Inde vis motiva in facto revelationis, ut in motivo credibilitatis est alterius rationis in fide Div. quam in cognitione prophetica. Obscuritas circa obiectum in se in utraque cognitione remanet, usus tamen formalis rationis cognoscendi est omnino diversus. *In prophetia hoc principium formale non adest per modum rationis inducentis permanentis.* In unaqualibet revelatione communicatur per modum transeuntis et vialis, ita ut in sola revelatione actuali illo uti possit. Extra illam non resplendet, nec ut medium formale cognoscendi applicari potest. Solum in statu inspirationis Propheta dicere potest: «haec dicit Dominus... vidi Dominum» — ideoque nec copulam veritatem Div. repraesentantem interponere valet. Aliis verbis: prophetia nec obiective nec subiective

est habitus. *Fides autem Div. in utroque sensu est habitus.* Ratio cognoscendi (auctoritas Div.) offertur menti fideli per modum principii et rationis cognoscendi permanentis eo fere modo, quo prima principia naturaliter nota tali modo sunt in intellectu cognoscente: potest illa uti, quando voluerit, quod de principio prophetiae nullatenus dici potest. *Ideo etsi principium formale cognoscendi fidei (auctoritas Dei) remaneat in se obscurum, tamen permanenter est in mente fideli et se extendit ad omnia revelata.* In prophetia autem principium formale cognoscendi non est tantum velatum, sed etiam est tantae coarctationis, ut solum in actuali inspiratione et respectu obiectorum actu communicatorum eo, ut ratione obiectivante, uti quis possit. Inspiratione cessante Propheta habet de revelatione et de revelatis fidem Div., vel puram memoriam humanam. — In inspiratione hagiographica reduplicative sumpta haec omnia deficiunt. Veritas prima ibi non manifestatur, sed Ipsa utitur hagiographo tamquam instrumento, ut infallibiliter conscribat ea, quae Deus vult et eo modo quo vult. Primae Veritati non coniungitur modo conscio, si ea, quae sub inspiratione prophetica expertus est, vel quae aliis revelata fuerunt, scripto consignat. Inde patet tres modos cognoscendi supernaturaliter specie inter se differre.

26. Quantum ad modum proponendi immediate revelata necessario requiritur, quod media cognoscendi ab ipso Deo formentur. In hoc rationabiliter supponitur, a Deo non creari huiusmodi media, sed ea educi de potentia obedientiali mediorum naturalium, vel potentiam eorum naturalem applicari per modum instrumenti ad repraesentandam veritatem revelandam.

27. Omnis autem cognitio completur in iudicio, in quo aliquid esse, affirmatur vel negatur. Hoc significatur per copulam. Inde valor iudicii dependet a principio, in cuius virtute copula apponitur. Hoc principium in prophetia non potest esse ens participatum, sed debet esse divinum. Principium autem, cum sit manifestativum esse et veritatis, est lumen intellectuale obiectivum, ex cuius cognitione pervenimus ad diiudicanda alia sec. esse et veritatem, vel est subiectivum, quo mens ad principium percipiendum et ad iudicia efformanda capax redditur. Inde ad hoc, quod Propheta iudicia infallibilia efformare possit, necessario requiritur infusio luminis intellectualis divini, tum obiectivi, tum subiectivi.

Lumen propheticum obiectivum desumitur ex rationibus aeternis, ut mensurantibus esse et veritatem obiectorum, et sub inspiratione prophetica resplendet in mente Prophetae, simili modo dirigens modo transeunte et viali cognitionem eius, ac prima principia dirigunt iudicia naturalia modo permanente. *Lumen propheticum subiectivum* oritur ex elevatione mentis Prophetae ad percipiendum principium obiectivum prophetiae atque in lumine ipsius diiudicanda obiecta sive ex infusione sive aliunde habita. Absque infusione luminis intellectualis prophetici nemo potest esse Propheta perfectus.

28. Quoad obiecta materialia dicendum est, pro repraesentatione illorum assumi posse quascumque species sive sensibiles sive intelligibiles per modum instrumenti disponentis vel etiam perficientis. Inde ex hac parte prophetia sic dividitur:

- PROPHETIA
  - imperfecta
    - ex sola acceptione sec. similitudines corporales (Balthassar) II—II. 173. 2.
    - ex solo iudicio (inspiratio hagiographica: II—II. 174. 2. ad 3)
  - perfecta cum acceptione et iudicio II—II. 175. 2.
    - ex infusione specierum
      - sensibilium
        - externarum (Daniel vidit scripturam parietis)
        - internarum (phantasmatum)
      - intelligibilium: scientia vel sapientia infusa
    - ex infusione luminis intellectualis
      - ad diiudicanda ea, quae ab aliis visa sunt (Joseph): interpretatio sermonum
      - ad diiudicanda alia facta vel agenda

29. *Conclusio huius tractatus est: subiectum Theologiae, quod ex revelatione immediate oriri debet, est possibile et acceptabile, dummodo Deus per lumen intellectuale propheticum mentem organorum electorum illustrare eisque media cognoscendi proportionata infundere possit.* Uti talibus instrumentis, eaque ad manifestanda supernaturalia applicare, nullam involvit contradictionem. Ideo in subiecto Theologiae non enuntiatur aliquid rationi contrarium.

30. Prophetia est revelatio. Ideo eodem modo consideratur active et passive, sicut ista. *Prophetia in sensu latissimo, active* sumpta est influxus Div. supernaturalis, infundens lumen Div. ad cognoscenda obiecta supra exigentias naturales. *Passive:* modus cognoscendi obiecta sub illustratione luminis Div. Inde cognitio qualiscumque obiecti procul a mente hum. distantis, ideoque mediis naturalibus inaccessibilis ad genus prophetiae reducitur. Eandem habet latitudinem ac inspiratio Div. Analogice praedicatur de prophetia perfecta, de inspiratione hagiographica vel kerygmatica, de assistentia, de fide etc.

31. *Prophetia proprie sumpta, activa:* influxus Dei infundens lumen Div. per modum transeuntis et vialis ad percipiendum aliquod obiectum supra exigentias naturales. *Passiva* autem est perceptio alicuius obiecti sub lumine Div. transeuntur in mente praesente. Est duplex: *a) Prophetia imperfecta:* quando lumen Div. est solum ad iudicium infallibile, ut in inspiratione hagiographica vel kerygmatica, vel solum consistit in determinatione sensuum externorum ad aliquod obiectum. *b) Prophetia perfecta:* lumen Div. ad diiudicanda obiecta per species a Deo infusas repraesentata vel ad alia facta et agenda.

TRACTATUS SECUNDUS.

De mediis revelationis transmittendae et custodiendae.

32. In hoc tractatu examinatur subiectum Theologiae quoad originem. Fontes, ex quibus hauritur «Loci revelationis»[1] appellari possunt. In Axiologia speciali determinari debet, quomodo, quibus mediis huiusmodi loci infallibiles testes revelationis aliquando immediate factae fieri possint. Auctoritas Dei in ipsis non minus clare elucescere debet, quam in revelatione immediata.

33. Revelatio autem Div. transmittitur per organa animata, (Legati Dei) et inanimata, quae specialiter «Loci theologici» appellari solent. Iustificatio illorum quoad valorem historicum, scientificum et sec. alias rationes completur in secunda parte Apologeticae, ubi assignantur etiam scientiae subsidiariae, quae hoc opus sec. particulares rationes perficiunt. In Axiologia speciali sufficit determinare suprema principia, sec. quae infallibilitas omnium organorum revelationis Div. diiudicari potest.

34. Medium transmittendi revelationem est verbum scriptum vel ore prolatum (praedicatio). Utrumque sec. eadem principia diiudicandum est inquantum consideratur, prout procedit ab organo immediato scribente vel praedicante. Medium adhibendum est inspiratio, quae organa elevat, ut sub influxu Dei ea, eaque sola, conscribant vel dicant, quae Deus vult, et ut sec. suam auctoritatem dicta vel scripta agnoscere intendit. At cessante inspiratione non cessant verba scripta vel praedicata. Quomodo remanet in iis virtus Dei revelantis, quomodo possunt esse testes infallibiles revelationis Div.? En quaestiones summi momenti Axiologiae specialis Apologeticae. Inde in sequentibus sermo est de inspiratione hagiographica et kerygmatica, postea vero de modis et mediis infallibiliter conservandi revelationem Div.

35. *Inspiratio hagiographica et kerygmatica* non differunt inter se essentialiter. Prima completur per consignationem in scripto, altera in locutione. Terminus inspirationis hagiographicae est liber continens verbum Dei scriptum. Ideo vocatur *inspiratio biblica.* Terminus vero

[1] Hoc nomine designari possunt tum media cognoscendi, tum etiam libri vel alia monumenta, in quibus revelata continentur, ut S. Scriptura, decisiones Summorum Pontificum et Conciliorum, opera SS. Patrum et theologorum.

inspirationis kerygmaticae est verbum traditum, quod *traditio* vocatur.[1] Si active considerentur, utraque est influxus Dei supernaturalis subordinans sibi scriptorem vel praedicatorem, elevans eorum facultates cognoscitivas (sensus, intellectum) et ita movens voluntatem atque facultates executivas, ut signo vel verbo significentur ad utilitatem fidelium (Ecclesiae) ea, eaque sola, quae Deus vult et eo modo quo vult. In hac doctrina ulterius explicanda utimur principiis praemotionem physicam fundantibus et explicantibus. Semper prae oculis habendum est, quod doctrina sive scripto sive verbo tunc solum infallibiliter aliis, tamquam a Deo proveniens, tradi potest, si *Deus est Auctor vel libri vel praedicationis principalis, organum autem animatum solum per modum instrumenti Deo subordinati* (in his, quae tamquam causa principalis secunda agit) *et elevati* (in his, quae superant vires eius naturales, ut est vg. infallibilis conscriptio, locutio). *Inspiratio hagiographica se extendit ad libros S. Scripturae, inspiratio vero kerygmatica partim ad ea, quae scripto consignata sunt, partim vero ad ea, quae in viva hominum conscientia, in «sensu» Ecclesiae conservantur.* Utrum omnia conservata fuerint, quae sub inspiratione conscripta fuerint, non constat. Certum tamen est, quod quoad substantiam permanere debuerunt ea, quae fini revelationis, saluti sc. humani generis assequendae necessaria sunt. Inde nullum criterium intrinsecum inspirationis hagiographicae sicut et kerygmaticae assignari potest. Utraque pertinet ad instinctum, quem nescientes humanae mentes patiuntur. Sola criteria extrinseca interventum Dei inspirativum probare possunt. Sic miracula, quae directe fiunt ad hoc testandum, vel auctoritas illius instituti (Ecclesia), quod per miracula, tamquam organum infallibiliter iudicans de revelatis, evidenter probatum est.

36. Si causa principalis inspirationis passive sumptae est Deus, tunc in scripto vel verbo inspirato *nulla potest esse falsitas*; influxus Dei sese extendere debet ad omnia, quae sub inspiratione traduntur. Quia vero inspiratio activa, sicut et omnis praemotio physica, sese accomodat causis secundis, proprietates individuales scriptorum vel praedicantium remanent in libris vel in sermone, acsi per ipsos solos confecti fuissent.

37. Conclusio ergo huius quaestionis est: *subiectum Theologiae desumptum ex diversis fontibus scripto vel verbo traditis possibile et acceptabile est, dummodo hi fontes sint inspirati.* Possibilitatem vero inspirationis demonstramus ex maiestate Dei subiiciente sibi omnes facultates organorum electorum ad assequendum finem revelationis

[1] Utraque potest esse coniuncta cum revelatione, quod tamen ad rationem ipsarum propriam necessarium non est. Praedicatio Apostolorum erat sub inspiratione kerygmatica, cum ea, quae in Evangeliis continentur, prius verbo tradiderint. Infallibilis traditio erat necessaria. (Ideo ponimus in Apostolis infallibilitatem personalem.) Principium eius erat auxilium Spiritus Sancti a Christo promissum, sive per modum inspirationis, sive per simplicem assistentiam.

Div. Nihil impossibile hac in re apparet ex parte ambientis philosophici, quod similes motiones et influxus, in gradu tamen inferiori, in ordine pure naturali docet.

38. Communicatio immediata revelatorum per scripturam non est unicum medium ea transmittendi, imo est quid extraordinarium. Ordinarie transmittitur ad auditores per locutionem. Ex hoc exsurgit verbum Dei traditum, quod eiusdem valoris est ac verbum scriptum. Possibilitas traditionis infallibilis dependet ab inspiratione organorum praedicationis, conservatio autem incorrupta transmissio et infallibilis, sive oralis sive scripta, *supponit assistentiam Div. ininterruptam.* Hic iam non possumus loqui de revelatione immediata, quae semel facta est, nec de inspiratione, quae in transmissione revelationis immediatae iterum semel facta est. Revelatio et inspiratio igitur non perdurant formaliter, sed virtualiter tantum in suis effectibus, in verbo sc. scripto vel tradito. Neutrum est *αὐτοπιστόν*, i. e. non in se portat rationem suae credibilitatis, et acceptabilitatis. Inde aliunde hoc repetitur. Istud extrinsecum autem est vel inspiratio Div. mentem cuiuscumque legentis vel audientis illustrans, qua discernitur, an verbum scriptum vel traditum sit originis divinae, vel est magisterium a Deo institutum, quod per assistentiam auctoritative decernit, quid tamquam divinitus revelatum tenendum sit. Hae duae possibilitates offeruntur Axiologiae speciali Apologeticae. Quaenam ex istis ut realitas acceptanda sit, ex ipsa revelatione desumendum est. Fontes revelationis historice et scientifice examinati, et ut recti et tuti inventi, decidunt quaestionem facti. Supposito, quod hoc examen in favorem secundae possibilitatis decidat quaestionem, tunc determinandum est magisterium, cui Deus assistentiam suam promisit, et per quod hominibus infallibile iudicium de revelatis communicat. Sedes huius magisterii vocatur Ecclesia docens, quod diversa organa subordinata adiuvant, ex quibus desumitur «sensus» Ecclesiae, decursu temporum et attentis diversis modis docendi, eadem semper quoad substantiam doctrina proponebatur.[1]

[1] *De «sensu Ecclesiae» diversimode loqui possumus. Obiective* designat totum et integrum depositum fidei. Comprehendit igitur omnia obiecta, quae in ipso sive explicite, sive implicite continentur, ergo ea, quae ab Ecclesia actu-formaliter creduntur atque ut talia fidelibus proponuntur. Praeter ista tamen perplura sunt, ad quae attentio Ecclesiae formaliter non dirigitur, et quae solum decursu temporum manifesta fiunt. Occasio enucleationis istorum possunt esse haereses insurgentes, sicut et assertiones, sive favorabiles, sive hostiles, scientiarum hum., imo et meditationes fidelium supra veritates revelatas formaliter cognitas. Ex his et ex comparatione singulorum obiectorum fidei inter se, depositum fidei novo modo illustratur et manifestantur veritates in ipso contentae, de quibus hucusque nemo explicite cogitabat, vel quae non *tali modo* percipiebantur. Huiusmodi veritates, vel in deposito fidei contentae, vel ut tales probatae, explicant sensum Ecclesiae, i. e. accommodationem illarum ad actualem revela-

Magisterium Ecclesiae sive sollemne sive ordinarium sicut et organa subsidiaria sunt testes divinae revelationis in verbo scripto vel tradito contentae. Nihil conferunt ad revelationem et revelatorum obiectivam et intrinsecam constitutionem, sed sub influxu assistentiae Div. infallibiliter tantum iudicant de eis, an sc. et quid sit revelatum. *Assistentia igitur Div. est influxus Dei supernaturalis praeservans organa magisterii Ecclesiae ab errore eaque positive dirigens et inclinans ad iudicium infallibile circa revelationem et revelata (in rebus fidei et morum).* Sub hoc respectu examinantur organa Ecclesiae docentis in Axiologia speciali Apologeticae: quaenam esse possunt, quid ab iis expectare licet, ut una ex parte sint fontes (loci theologici) ex quibus cognitio de revelatione ac de revelatis hauriatur, alia vero ex parte, quod sint testes revelationis semel aliquando factae?

39. *Conclusio huius tractatus: subiectum Theologiae desumptum ex doctrina Ecclesiae est possibile et acceptabile, dummodo assistentia Div. comitetur et custodiat magisterium ecclesiasticum.*

tionem, ideoque acceptabilitatem earum vel lumine theologiae, vel fidei. De hoc iudicat Ecclesia docens sub assistentia Spiritus Sancti. Nova ergo definitio dogmatica semper explicat «sensum Ecclesiae», quatenus formaliter el explicite proponit ad credendum illud, quod hucusque implicite et virtualiter — in integra acceptatione depositi fidei, quod est obiectum (indistinctum fidei) — creditum fuit. In his definitionibus merito provocatur ad perpetuum Ecclesiae sensum.

Subiective autem designat, propensionem habitualem fidelium acceptandi omnia, quae in deposito fidei continentur et ut partes eius integrales, vel ut particularia in universali, aut tamquam aequivalentia formaliter revelatorum, manifestari et ab Ecclesia proponi possunt. Ex parte Ecclesiae docentis huic superadditur conscientia potestatis a Christo traditae custodiendi et omni vigilantia integre servandi depositum fidei sub assistentia Spiritus Sancti.

«Sensus igitur Ecclesiae» obiective, identificatur cum traditione latiori sensu sumpta (prout comprehendit verbum Dei scripto vel ore transmissum), fideles autem simul cum Ecclesia docente sunt organum vivum huius traditionis, quatenus illam in dictis dispositionibus integre conservant.

TRACTATUS TERTIUS.

De medio cognoscendi revelationem mediatam, seu de fide.

40. Ex hucusque dictis apparet, subiectum Theologiae iustificari posse quoad originem Div. Per media proportionata communicari potest per revelationem immediatam, transmitti quoque potest per inspirationem hagiographicam et kerygmaticam et tandem assignari possunt media (assistentia), quibus incorruptibiliter conservari et aliis infallibiliter tradi potest. At subiectum Theologiae non est propter se, sed ut cognoscatur et totam vitam spiritualem supernaturalem hominum dirigat atque pervadat. Hinc exsurgit quaestio, *utrum subiectum Theologiae a singulis hominibus cognosci et firmiter teneri possit.* Quid est illud medium obiectivum et subiectivum, per quod mens hum. revelationem mediatam percipere firmiterque tenere potest? En ultima quaestio Axiologiae specialis.

41. *Medium proportionatum cognoscendi revelationem mediatam fides vocatur.* Percurrendo singulos actus intellectus, quibus obiecta attingere potest, invenimus subiectum Theologiae per solam fidem teneri posse. Non enim est immediate evidens ; ideo non est obiectum intellectus. Nec est evidens in aliquo principio naturaliter noto ; ideo non est obiectum scientiae. Si igitur adest possibilitas, quod mens hum. firmiter illi adhaereat, obiectum tantum fidei esse potest, i. e. mens illi solum propter auctoritatem et in auctoritate assentire valet. Haec vero auctoritas non potest esse creata, cum hic praesentetur obiectum in medio naturali nullo modo contentum, de cuius veritate consequenter nulla creata auctoritas testari valet. Inde *medium cognoscendi subiectum Theologiae non est fides hum., sed fides Div. innitens soli auctoritati Dei.* Determinatis igitur iis, quae ad etymologiam fidei spectant, quaestio magni momenti solvenda est de auctoritate.

42. Auctoritas est medium cognoscendi quo, ex quo et in quo. Debet ergo esse prius cognita in se ad hoc, ut ad cognitionem et acceptationem aliorum a se movere obiective possit.[1] Praecognosci ergo debet, *a)* quod est, *b)* quod habet certam cognitionem de his, quae testatur (veritas auctoritatis), *c)* quod est supra omnem exceptionem maior, i. e. quod sit moraliter probata quoad veracitatem, *d)* quod obiectum

[1] De auctoritate scribit auctor: Örök. p. 174 ; Hitv. p. 68. sequ., Heiligkeit. p. 58 sequ. V. etiam hic p. 130[1].

materiale oritur ex communicatione ipsius (factum locutionis auctoritativae), et quidem sec. totam latitudinem, ita ut nihil ipsi admisceatur quod non ad auctoritatem esset reducendum, *f)* quod acceptationem obiecti materialis postulet solum in virtute suae testificationis, excluso omni alio motivo (ratio formalis testificationis et acceptationis obiecti). His omnibus positis habetur pura fides, ab aliis actibus cognitionis distincta. Si quid ex dictis conditionibus deficiat, ratio fidei diminuitur: deficiente firmitate assensus fit opinio, suspicio vel dubium; crescente visione circa obiectum accedit ad scientiam, vel deficiente iustificatione auctoritatis, ideoque visione circa conditiones praedictas, fides non est rationabilis, sed caecus assensus absque valore intellectuali.

43. *Auctoritas igitur est medium obiectivum cognoscendi, unde hauriuntur obiecta, quae menti non sunt accessibilia sive ex defectu evidentiae intrinsecae, sive ex defectu experientiae circa illa.* Obiectivatio ergo talium cognoscibilium, tum materialis (communicatio cognitorum) tum formalis (ratio acceptationis), unice ab auctoritate expectatur.

44. Ut auctoritas vim motivam obiectivam habeat, iustificari debet quoad existentiam, veritatem et veracitatem. His positis, communicationibus eius de facto evenientibus fides praeberi potest. Si igitur agatur de auctoritate Dei, ut medio cognoscendi aliquas veritates, debemus demonstrare, quod sit, quod sit verus et verax. *Haec sunt praeambula ad hoc, quod auctoritas Dei per modum medii cognoscendi assumi possit.* Locutio eius facta et ut talis probata est conditio sine qua non acceptationis, testificatio autem probata et menti evidens est ratio acceptationis obiectorum materialium.

45. *Obiectum fidei cuiuscumque* est veritas in sola auctoritate firmata, i. e. ab ipsa communicata et ratione ipsius acceptabilis vel acceptata. Sec. diversitatem auctoritatis loquimur de fide hum., et de fide Div. Prima non est virtus intellectualis, cum firmitas auctoritatis hum. probari nequeat. Fides autem Div. est virtus, cum auctoritas Dei sec. firmitatem metaphysica certitudine proponi possit. Quia talis fides soli auctoritati Dei innititur et ab ea recipit firmitatem, merito vocatur fides Div., vel theologica.

46. *Fides obiective sumpta* designat vim motivam alicuius obiecti, non ex intrinseca evidentia ipsius, sed ex testificatione auctoritatis, veritate et veracitate praeditae, desumptam. *Fides subiective sumpta* est dispositio vel habitus mentis inclinans ad acceptanda obiecta per auctoritatem communicata.

47. Quanto magis auctoritas est visa (quoad existentiam, quoad veritatem et veracitatem, sicut et quoad factum locutionis vel communicationis) tanto firmior est fides. Visioni auctoritatis in sensu stricto sumptae aequivalet eius perceptio per medium ipsi proportionatum, quae etsi visionem scientificam non parit, bene tamen eius formalem cognitionem mediat. Inde distinguimus perceptionem auctoritatis formalem

et materialem. *Materialiter videtur auctoritas*, percepta, ut potens et valens communicare et obiectivare veritates in se inevidentes vel propriae experientiae inacessibiles. *Formaliter autem* percipitur auctoritas, ut in sua veritate et veracitate virtualiter, actu continens ea, de quibus testificatur. Sic Deus cognitus per rationem naturalem sec. suam existentiam, veritatem et veracitatem pro mente hum. nonnisi in potentia continet ea, quae sunt supernaturalia. *Ideo talis cognitio auctoritatis Dei est tantum ratio materialis cognoscendi ea, quae Deus supernaturaliter communicat.* Ratio formalis cognoscendi pro iis tantum obiectis esse potest, quae in ambitu entis in quidditate sensibili, seu entis participati continentur. Pro veritatibus supernaturalibus, ut formalis ratio cognoscendi, illa tantum Dei auctoritas assumi potest, in qua talia obiecta continentur, i. e. auctoritas Dei supernaturalis, non ex parte Dei sed pro mente hum. Hanc autem auctoritatem per media scientifica naturalia attingere non valemus. *Ideo, ut ratio formalis inducens ad assensum veritatibus supernaturalibus, solum ex medio obiectivo supernaturali assumi potest*, i. e. organice menti fideli apparere debet (ex infusione) eo modo, quo prima principia naturalia in mente resplendent. Iustificatio igitur auctoritatis Dei per media naturalia est tantum motivum credibilitatis materiale, motivum vero formale sola auctoritas supernaturalis, mediis supernaturalibus percepta, esse potest.

48. Haec sint dicta de auctoritate in sensu stricto, nam in sensu latiore auctoritas vocatur quaecumque ratio inducens ad assensum vel movens ad agendum, praesertim si quandam prae se fert universalitatem, qua plura in se continet, vel ad plura se extendit. Sic prima principia et alia minus universalia, ut sunt subiecta scientiarum.

49. Quaestiones ad fidem Div. pertinentes optime tractari possunt sec. ordinem in II—II. 1—7. traditum.

En conspectum tractatus de fide.

- DE FIDE
  - sec. se absolute
    - obiective: quoad determinationem ex parte obiecti
      - quoad suum obiectum: quoad veritatem ontologicam
        - materiale
        - formale
      - quoad actum
        - interiorem
        - exteriorem
    - subiective: quoad determinationem ex parte habentis fidem
      - quoad suam essentiam; ut est habitus formaliter
      - materialiter, quoad subiectum, in quo est.
  - in ordine ad alia: relative
    - quoad suas causas
      - producentes
      - adiuvantes, conservantes (dona Spiritus S.)
    - quoad suos effectus

50. Tractatus de fide ex se ad Theologiam moralem speculativam pertinet, quae omnia considerat sec. principia generalia habituum et existentiam fidei realem eiusque influxum desumit ex fontibus revelationis iam probatis et cognitionem theologicam dirigentibus. *Apologetica examinat, an aliquod medium cognoscendi revelationem mediatam sit possibile et quomodo constitui debeat ad hoc, quod ad certam et infallibilem cognitionem circa revelata perducere possit.* In Apologetica igitur traduntur huiusmodi notiones ut mere possibiles et *ex ambiente ostensae.* Medium cognoscendi revelationem non potest esse tale, sicut sunt media naturalia. Quale ergo esse debet? Undenam desumenda est vis motiva obiectorum in revelatione mediata propositorum, et quale lumen requiritur ad illa percipienda? En quaestiones Apologeticae in Axiologia speciali decidendae.

51. *Possibilitatem medii cognoscendi revelationem mediatam Apologetica ex ambiente demonstrat.* Ambiens vero est medium cognoscendi naturale. Pro obiectivatione in cognitione naturali requiritur : *a)* acceptatio obiecti materialis ex sensibus, *b)* praesentatio eius per abstractionem effectivam intellectus agentis, *c)* perceptio per intellectum possibilem, *d)* iudicium de ipso sec. compositionem et divisionem, in quo mens unitur obiecto sec. rationem entis communis (participati), *e)* evolutio virtualitatis obiecti, praesertim ex comparatione cum aliis. Lumen obiectivum est ratio entis communis et principiorum ex ipsa formatorum, lumen autem subiectivum est vis abstractiva intellectus, qua in rebus materialibus et sensibilibus rationes universales et necessarias invenire potest. Sec. hunc processum obiectivatio veritatum mediate revelatarum, sicut et cognitio earum per lumen naturale intellectus explicari nequit, ad similitudinem tamen dictorum mediorum excogitari potest medium quoddam proportionatum, in quo dictae veritates obiectivantur. Hoc vocamus fidem Div., ut lumen tum obiectivum tum subiectivum.

52. Medium proportionatum cognoscendi veritates mediate revelatas : *a)* non haurit obiecta ex sensibus, *b)* nec ex abstractione intellectus agentis, sed ex ipsa revelatione mediata, probata per motiva credibilitatis. Inde in prima quaestione ante omnia tradenda sunt ea, quae ad obiectum materiale fidei spectant. Perceptio obiecti materialis sec. formalem rationem, qua esse diiudicatur, non potest reduci ad ens in quidditate sensibili, in quo non continetur. Ideo tamquam formalis ratio inducens ad assensum assignari debet esse Div., Veritas prima, per Seipsam obiectivans illud formaliter. In hoc nihil impossibilitatis invenitur. Si enim Veritas prima potest obiecta naturalia mediate obiectivare, cur non posset hoc facere immediate. Inde quaestio de obiecto formali quo fidei Div., quod in Veritate prima testificante (in auctoritate Dei) assignatur. Ex hoc modo obiectivandi elucet, in obiecto fidei rationem veritatis aliter inveniri debere, quam in obiectis naturaliter

cognoscibilibus. Sic solvitur quaestio de proprietatibus fidei. Sicut tandem in cognitione naturali datur evolutio, quaeri potest, quomodo haec possibilis sit in cognitione fidei. Conclusio huius tractatus erit: *ex parte ambientis non repugnat acceptatio medii cognoscendi, quod in Veritate prima proponat veritates obiectivatas et in virtute ipsius postulet et imponat assensum.* Lumen obiectivum fidei Div. igitur potest esse Veritas prima, non quidem sec. totam suam extensionem infinitam, sed sec. ambitum revelationis actualis. Quia vero revelatio actualis determinatur per rationem Dei, ut est in se (esse per se subsistens in tribus Personis), ut habentis specialem providentiam de salute hominis lapsi, lumen obiectivum fidei optime determinari potest per verba S. Pauli: «quod (Deus) est, et inquirentibus se sit remunerator». Hoc est supremum principium dirigens obiectivationem revelatorum, simili modo ac principia naturaliter nota influunt in obiectivationem veritatum naturalium. Sicuti haec naturaliter communicantur intellectui hum., tamquam absolute necessaria pro operatione ipsius, ita et dictum lumen obiectivum ex infusione apparet menti fideli, ut credere possit. Lumen autem subiectivum debet esse aliquid menti hum. ex elevatione superadditum, quo veritates revelatas firmiter tenere possit. Hoc donum pro Deo operante in omni operante est possibile et mens hum. illud in se recipere potest ratione suae potentiae obedientialis.[1]

53. Possibilitas tamen praedicti medii cognoscendi non ab omnibus admittitur, imo directe negatur. In constructione ipsius respeximus ad communia principia Philosophiae christianae, quae conditiones obiectivationis determinat. Sunt, qui innixi suis principiis, alium modum obiectivationis veritatum naturalium proponunt et illum transferunt etiam ad veritates religiosas, circa quas fidem ponunt, ut distinctum modum cognoscendi a scientia. Inde Apologeticae est defendere modum propositum tamquam rationabilem et convenientem dignitati revelationis. Hinc oriuntur disputationes cum Rationalismo, Kantianismo, Sentimentalismo et Modernismo, sicut et cum ceteris modis fidem Div. diminuentibus vel tollentibus.[2]

54. Primo igitur investiganda est quaestio, undenam desumenda sit vis motiva obiectorum fidei. Ad hoc, quod aliquid fide Div. teneatur, necessaria est directa communicatio a Deo facta et ut talis probata. Inde *obiectum materiale fidei est omne id, quod a Deo revelatum est*, sive versetur circa Deum in se, vel circa opera eius ad extra, sive proponat naturalia, quorum cognitio propter salutem assequendam homini est necessaria. En conspectum obiectorum materialium fidei.

[1] In Apologetica igitur sic ratiocinamur. Obiecta revelata nec post revelationem per intrinsecam evidentiam convincunt mentem hum. Ideo obiective per lumen fidei perfundi debent, quod est auctoritas Dei supernaturalis concreta. Subiective autem necessarium est lumen fidei a Deo infusum, quo mens capax fit ad perceptionem dicti luminis obiectivi.

[2] Cf. hic p. 133. squ.

Conspectus particularium rationum, quibus obiectum fidei determinatur.



Explicatio Tabellae.

55. *Praenotamen: a)* Obiectum materiale: circa quod aliqua potentia seu facultas vel habitus versatur. *Si sumatur indistincte*, significat illum locum (metaphorice sic dictum), in quo attingibilia continentur et unde hauriri possunt. Sic quidditas sensibilis est locus, unde intellectus obiecta sua haurit. Generaliter et in communi obiectum materiale indistinctum est id, quod continet principia aliquam facultatem vel potentiam moventia, et ad quae per modum termini, seu *ut quod* attacti, pervenire potest. *Si sumatur distincte*, designat particulares rationes attingibiles. Ideo obiectum materiale considerari potest per modum

indivisi et per modum divisi, indistincti (unius) et distincti (sec. pluralitatem).

b) Obiectum materiale facultatis cognoscitivae est ipsamet veritas ontologica rerum. Sec. lumen intellectuale obiectivum est diversis modis cognoscibile. Aliter attingitur in lumine Div. (in visione beata, in prophetia, in inspiratione et in fide) et aliter in lumine abstractionis, quo nonnisi successive revelatur veritas ontologica ipsius sec. communes rationes entis, postea per particularia. Obiectum materiale sic formatur per lumen obiectivum (obiectum formale quo obiectivum) et constituitur in obiectum formale quod, quod solum cognoscibilitatem sec. determinatum modum exprimit. In obiecto formali distinguimus igitur id, quod per modum materiae se habet et rationem cognoscendi, qua speciali modo cognoscibile constituitur. Obiectum materiale est quid absolutum, formatio eius fit per respectum (relationem) ad obiectum formale quo. Sic formantur singula obiecta et conclusiones alicuius scientiae per influxum subiecti scientiae.[1]

56. *Obiectum fidei* generaliter est omne, quod creditur, cui fides assensum praebet.

Obiectum materiale fidei est : quidquid in revelatione, in deposito fidei, in doctrina Ecclesiae continetur.

A) ..... *indistinctum:* quod in suo ambitu et virtualitate continet, quasi amplectitur veritates credendas ; est quasi locus (metaphorice sumptus) in quo obiecta fidei quaeri et inveniri possunt. Sic revelatio, doctrina Ecclesiae, SS. Patres, Theologi ceterique «loci theologici».

NB ! Ad obiectum materiale indistinctum pertinent *prima credibilia*, quae in fide simili modo se habent ac prima principia in cognitione naturali. Sunt quasi prima criteria, sec. quae diiudicamus, an aliquid ad fidem pertinere possit necne. Debet namque habere connexionem cum Deo salutem nostram providente. Si aliqua enuntiatio ad hoc non ordinatur, obiectum fidei esse nequit. Ideo prima credibilia a S. Paulo determinata virtualiter continent totam revelationem, totum obiectum materiale fidei, ita ut singulae veritates non sint, nisi particulares determinationes primorum credibilium. — *Symbola* sunt summa veritatum credendarum, in quibus quaedam distincte proponuntur, alia vero ut in iis contenta et ex eis explicabilia. Actu explicantur decursu temporis ad eliminandos errores occurrentes.

B) ..... *distinctum:* singulae veritates ex deposito fidei, ex doctrina Ecclesiae depromptae et in magisterio Ecclesiae ordinario vel sollemni propositae.

a)..... *directum:* omne quod ratione revelationis continetur in deposito fidei et sic ab Ecclesia proponitur, vel ut proponibile (in Theologia) admittitur. Ad obiectum directum pertinet aliquid, quod est revelatum vel est revelabile i. e. in revelatis contentum et per ea cognoscibile et probabile.

[1] Cf. p. 16. et p. 124. squ.

b) . . . . . indirectum: quod ex se in aliis fontibus cognitionis (in scientiis vel artibus hum.) continetur, ratione tamen alicuius connexionis cum revelatis vel revelabilibus trahitur ad fidem. Sic conclusiones particularium scientiarum, quatenus lumine fidei diiudicantur.

Obiectum materiale directum potest esse immediatum et mediatum

a) . . . . immediatum: quod ex sola revelatione, absque interventu cognitionis naturalis hauritur, in Veritate prima obiectivatur, ideoque, si non quoad obiectum materiale absolute sumptum, bene tamen sec. ordinem ad Veritatem primam (ad obiectum formale, ad rationem formalem cognoscendi) supernaturale est.

α) . . . . . per se: quod solum ratione revelationis est attingibile, i. e. sive sec. se totum (ut mysteria in sensu stricto) sive sec. partem (ut mysteria late proprie sumpta) in medio naturali non continetur. Cf. ea quae de mysteriis dicta sunt.[1]

NB! *Obiectum per se primarium* alicuius habitus est id, cuius cognitio propter se quaeritur et intenditur, quod est principium (in ordine analysis) et finis (in ordine synthesis), ratione cuius cetera cognoscuntur. Sic subiectum scientiae sec. se et sec. suas proprietates. Ex ipso procedimus ad cognoscenda ea, quae cum illo connectuntur et obiecta secundaria repraesentant.

a) Obiectum per se primarium fidei: est id, quod in revelatione proponitur tamquam principaliter tenendum et ut ratio aliorum revelatorum. Sic ea, quae spectant ad naturam Dei eiusque proprietates.

b) Obiectum per se secundarium fidei: sunt ea, quae ex libera Dei determinatione sequuntur et in eius essentia et proprietatibus radicantur. Sic omnia opera Dei ad extra, ut creatio, incarnatio, salus, sacramenta etc. «Si consideremus materialiter ea, quibus fides assentit, non solum est ipse Deus (obiectum primarium), sed etiam alia multa, quae tamen sub assensu fidei non cadunt, nisi sec. quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout sc. per aliquos Divinitatis effectus homo adiuvatur ad tendendum in divinam fruitionem (obiectum secundarium).»[2]

In his obiectis secundariis distinguere possumus aliquid principale, respectu cuius cetera sunt subsidiaria:

Obiectum secundarium principale fidei: est Christus, qui est principium universale gratificationis in genere hum. Si revelatio Div. ordinatur ad salutem hominis, homo autem lapsus non consequitur salutem nisi per Christum, ea, quae ad Christum, et ad opus eius salutare pertinent. ad sunt finis, ideoque obiecta principalia revelationis.

Obiectum secundarium subsidiarium fidei sunt ea, quae ad opus Christi continuandum et in singulis hominibus perficiendum sunt necessaria, ut sacramenta, Ecclesiae.

β) Obiectum fidei immediatum per accidens: quod naturaliter qui-

[1] Supra p. 74—77. [2] II—II. 1. 1.

dem cognoscibile est, tamen vel ob insufficientiam medii cognoscendi, vel propter incapacitatem subiecti non cognoscitur et ad certitudinem habendam in revelationem assumitur : mysteria in sensu lato improprie.

b) Obiectum mediatum fidei: sunt conclusiones ex revelatis deductae — revelabilia.[1]

II. *A) Obiectum formale quo:* (ratio cognoscendi) *universale, potentiale:* Veritas prima in loquendo et testificando seu auctoritas Dei sec. totam suam infinitam latitudinem. *Sec. quid autem, seu actuale:* ut obiectivans revelationem in concreto factam : auctoritas Dei, testificatio Veritatis primae ex auditu et ad auditum. Fidem, quam nos habemus, sola auctoritas Dei concrete sumpta, prout se extendit ad actu revelata, obiectivare et movere potest. Revelatio autem ista transmittitur per verbum scriptum vel traditum et sic pervenit ad auditum credentium. Credentes autem instruuntur per propositionem (praedicationem) Ecclesiae. Inde obiectum formale quo fidei nostrae est Veritas prima prout in doctrina Ecclesiae manifestatur.

B) Obiectum formale quod: veritas formata per testificationem Veritatis primae ; verbum ex auditu ; veritas motivata per auctoritatem Dei concretam.

a) . . . . . indistincte: Veritas prima, prout in doctrina Ecclesiae manifestatur, seu revelatio ex locutione Dei communicata continens ea, quae Deus pro salute humana dixit.

b) . . . . distincte: singuli articuli, singulae veritates, dogmata proposita sub testificatione Dei. Formulae dogmaticae sunt obiectum fidei, ut signa, repraesentationes mysteriorum. Ideo fides non sistit in dogmatibus, sed fertur ad rem significatam, ad Deum sec. singula mysteria propositum. Sunt medium quo et ex quo Veritas prima cognoscitur, non tamen sunt medium in quo, quod sola auctoritas Dei esse potest.[2]

57. Formulae dogmaticae sicut et quaelibet alia signa, sub quibus veritates revelatae proponuntur, *ex se non sunt obiecta fidei.* Obiectum fidei est res significata seu mysteria, i. e. esse et veritas ontologica Dei, ut primi principii salutis et Veritatis primae. Valor signorum vel verborum diiudicandus secundum aptitudinem, qua ad mysteria cognoscenda ducere possunt. Inde sec. hanc connexionem formulae dogmaticae trahuntur ad obiectum fidei. «Non enim formamus enuntiabilia, nisi ut per ea de rebus cognitionem habeamus».[3]

58. Determinato obiecto fidei, videndum est, quaenam sint eius proprietates. Proprietates autem sunt essentiales (proprietates in sensu lato), aut ex essentia fluentes (proprietates in sensu stricto). Cum autem

[1] I. 1. 3.

[2] Cf. Hitv. p. 161 sequ.

[3] H—II. 1. 2. ad 2. De relatione dogmatum ad mysteria cf. Hitv. p. 100.

obiectum fidei moveat mentem tum sec. rationem veri, tum sec. rationem boni, ideo proprietetates veritatis illius sec. utrumque respectum determinandae sunt. En schema.



59. Ad explicationem huius tabellae generaliter notandum est, fidem nec obiective nec subiective esse lumen intellectuale purum, sed habens commixtam cum ratione veri rationem boni, i. e. importare ordinem ad intellectum et voluntatem, ex quorum cooperatione elicitur actus fidei. Obiectum namque ipsius non est evidens. Inde non potest captivare intellectum, nisi ratio boni movens voluntatem in ipso eluceat. Deus igitur debet proponi ut movens sec. rationem Veritatis primae et per modum finis ad hoc, ut credentem efficaciter moveat ad assensum. Finis autem est obiectum voluntatis. Inde lumen fidei est quidem intellectuale, prout tamen in obiecto ipsius relucet ratio boni.

60. *De proprietatibus fidei loquimur hic in sensu pure obiectivo*, seu sec. rationes desumptas ex parte solius obiecti. Assensus quoque subiective praestitus easdem proprietates habet, i. e. fertur in veritates obiectivatas in Veritate prima, non potest inclinare in falsum, est certa, non est sec. visionem, libere ponitur etc. Sed ista omnia sequuntur ex vi motiva obiectiva.

61. His praenotatis sequentia pro intelligentia tabellae proponimus.

a) *Fides est ex auditu et essentialiter ordinatur ad percipiendam vocem Dei loquentis* in revelatione immediata expressam et per competentem auctoritatem propositam, sicut et ad assentiendum dictis ipsius. In ipso assensu monstratur virtus fidei et in ipso exhauritur. Quae antecedunt assensum vel ipsum consequuntur, non pertinent formaliter ad fidem, sed causaliter, inquantum quaerit visionem de iis ad hoc, quod assensus ipsius rationabilis sit, vel fulciatur per ea in directione vitae spiritualis credentium.[1] Sub utroque respectu ordinatur vel per motiva credibilitatis materialia, vel praesertim per dona Spiritus S. — In omni obiecto fidei invenitur locutio Dei ad fidelem audientem. Haec locutio fit per modum magisterii, non ostendendo veritatem rerum communicatarum sec. evidentiam intrinsecam, coniungendo tamen mentem fidelem cum scientia (quae errare nequit) et cum veracitate Dei (quae fallere non potest). Inde dici potest obiectum materiale fidei hauriri ex revelatione, obiectum vero formale quo eius esse testificationem Dei, seu revelationem, in qua includitur veritas et veracitas Dei loquentis.

b) *Per solam Veritatem primam constituitur aliquid formaliter credibile*, i. e. in ratione veri, veritate supernaturali reali. Materialiter, ut veritas logica, etiam per aliud medium percipi potest, in veritatem tamen realem solum sub ratione Veritatis primae influentis transire potest. Aliis verbis : obiecta fidei in sola Veritate prima possunt obiectivari, seu habere rationem rei extra animam, ut distinguibilis et distincti a simpliciter apprehensis.

Motivum namque formale seu principium obiectivationis est id. quod coniungit intellectum cum veritate reali et propria ipsius obiecti, Atqui veritas realis revelatorum aliunde quam ex testificatione Veritatis primae haberi non potest, cum sec. veritatem propriam non contineantur in mediis naturalibus. Testificare namque non potest nisi ille, qui cognitionem habet de testificatis, vel in cuius virtualitate alia continentur. Magister autem creatus nullam cognitionem habet de revelatis, nec ens in quidditate sensibili in sua virtualitate ea continet. Ergo . . .

c) *Inferior tamen obiectivatio* quaedam (quae materialis dicitur) veritatum fidei in rationibus temporalibus, seu in cognitione naturali, non excluditur, imo necessaria est ad hoc, ut assensus fidei sit obsequium rationabile et quod obiecta fidei modo quodam connaturali moveant mentem fidelem. Haec tamen obiectivatio, et omnia motiva exinde desumpta, extrinsece tantum se habent ad obiectum fidei, atque tantum ex parte ambientis concurrunt ad rationes obiectivas fidei.[2] Sunt fulcimenta fidei; tum ex parte obiecti, tum ex parte subiecti concurrunt removendo impedimenta assensus. Praebent motiva non in-

[1] Cf. Hitv. p. 245. [2] Cf. Tab. p. 83.

ducenta ad fidem, sed ad iudicium efformandum: propter ea quae exterius apparent (ex parte ambientis) et impediunt assensum fidei, non est recedendum ab his, quae sunt a Deo revelata. *Inde revelata formaliter obiectivantur in rationibus aeternis*, non quidem visis in essentia Dei, nec per species ab iis directe desumptas (ut in prophetia), propositis tamen per testificationem Dei revelantis, per quam conformitas obiectorum fidei cum scientia Dei, ex veritate et veracitate Dei, indubie stabilitur. *Materialis autem obiectivatio* veritatum fidei (revelatorum) fit in rationibus temporalibus, quae tamen ad rationes aeternas manifestandas sunt insufficientes.

d) Motiva desumpta ex ambiente veritatem materialem revelatorum ostendunt, ex qua elucet, quod acceptationi ipsorum ex parte cognitionis naturalis nihil obstet, i. e. quod non sit contradictio vel discrepantia inter mysteria et naturaliter cognoscibilia. Sic auferunt impedimenta, quae influxum obiecti fidei mentemque fidelem in assensu arcere possunt. Veritas materialis consideratur sec. rationes entis, boni, pulchri, sicut et ex aliis, quae obiectum credibile esse ostendunt (ut sunt probatio attestationis facti revelationis, fiducia in Ecclesiam proponentem etc.).[1] Hae igitur rationes non determinant obiectum ut verum veritate propria et reali, i. e. ut movens mentem sec. notas rei, sibi in se convenientes, sed sec. notas aliunde desumptas. Non movent virtute propria ad assensum, sed sunt instrumentum principalis agentis (obiecti fidei in se). Haec instrumentalitas duplici modo potest repraesentari: *α) per modum intentionis*, quatenus veritas ambientis formas transeuntes, viales repraesentat, quasi intentiones principalis agentis (obiecti fidei) sec. se, quod sec. propriam veritatem formalem ad praesentiam harum intentionum agit et exercet suum influxum et mediantibus illis convertit mentem ad percipiendam suam veritatem formalem (ontologicam) sec. se. Sic agit in mentem purificatam et praeparatam, ut formam permanentem in mentem inducat. In hoc sensu veritas materialis ex ambiente desumpta est intentio veritatis formalis. *β) Per modum instrumenti stricte (perficientis) sumpti*,[2] quatenus mentem formatam per veritatem materialem vel ipsa motiva materialia sibi subordinat atque elevat ad suum influxum absque impedimento exercendum. Talis subordinatio motivorum credibilitatis valde utilis est ad explicandam connaturalitatem fidei, ita ut unitas influxus salvetur et harmonia inter naturam et ordinem supernaturalem magis elucescat. Si motiva materialia solum in virtute propria agant, ad fidem perducere non possunt. Si autem ponantur instrumenta motivi formalis, influxum in fidem obiective et subiective exercere possunt. In hoc sensu asserimus obiectum sicut et actum fidei esse supernaturale quoad rem, non quidem quoad substantiam, sed quoad subiectum.

In motivis materialibus, sicut et in veritate materiali ex ipsis

[1] Cf. Tab. p. 83. [2] V. p. 161—162.

causata igitur obiectum fidei non apparet in se, sec. propriam veritatem, sed intentionaliter, sec. inferiorem rationem, in veritate sc. ambientis. Inde si veritas materialis definiatur, potest dici *quod sit conformitas intellectus cum ambiente* (non autem cum obiecto, cuius repraesentatio intenditur). Veritas ambientis directe repraesentatur, veritas autem obiecti solum per modum signi, possibilis vel non-impossibilis, boni, pulchri etc. De veritate formali propria rei ex ambiente numquam constare potest, sed ex alio fonte hauritur vel per alia media cognoscendi obiectivatur. Ambiens tamen per modum instrumenti adiutorium praestare potest, ut fontes vel media cognoscendi propria facilius suum influxum exercere valeant.

e) *Auctoritas Ecclesiae non est motivum inducens formale ad credendum, ad assensum praebendum revelatis, est tamen motivum credibilitatis materiale*, utpote testificatio magisterii a Deo (Christo) instituti. Sic auctoritas Ecclesiae refertur *α)* ad factum revelationis in universali, *β)* particulariter autem repraesentat obiecta credibilia et credenda, quatenus proponuntur determinate, tamquam a Deo revelata. Inde per ordinem ad auctoritatem Ecclesiae non determinatur formalis ratio revelatorum, sed solum ambitus (extensio) revelationis circumscribitur. Inde principium S. Thomae: Obiectum fidei est Veritas prima prout in S. Scriptura et traditone et (in ultima analysi) in doctrina Ecclesiae continetur et manifestatur.[1] Sic auctoritas Ecclesiae solum ad infallibilem propositionem veritatis refertur, per quam determinatur quid sit credendum, i. e. quid possit per formalem rationem cognoscendi (per auctoritatem Dei) formari. Auctoritas namque Dei non absoluta et sec. totam eius latitudinem est formalis ratio cognoscendi fidei, sed concrete sumpta, prout testificat de veritate obiectiva eorum, quae actu in praesenti rerum ordine revelata sunt et obiectum formale quod fidei constituunt.

f) *Obiecta fidei Div.* sunt omnia, quae a Deo revelata sunt et in deposito fidei continentur.

Obiecta fidei catholicae sunt, quae a magisterio ordinario vel sollemni Ecclesiae proponuntur.

Non differunt essentialiter, cum motivum formale sit idem in utroque, sc. auctoritas Dei. Omne quod est in deposito fidei, fide divina credendum est. Sed distinctio fit per magisterium Ecclesiae, quatenus sec. diversitatem temporum magis manifestum fit, quid in obiecto indistincto depositi fidei determinate et particulariter contineatur.[2]

62. *Loquendo de proprietatibus fidei*, notandum est, eas non convenire obiecto eius materiali sec. se sumpto. Sic enim indifferenter se habet ad omnem ulteriorem formationem per quamcumque rationem cognoscendi. Eadem res materialiter cognoscitur in lumine Div. essen-

[1] II—II. 5. 3. [2] Cf. Denz. 1792.

tiali (in visione beata), prophetico vel naturali (ut fit in consideratione Theologiae materialis). Successive igitur potest poni sub forma demonstrationis, sicut et sub omnibus aliis rationibus cognoscendi. Cognoscibilitas formalis eius dependet ab his rationibus (obiectis formalibus quibus). Sicut autem in rebus physicis ponimus materiam primam sub una tantum forma esse posse, exclusa pluralitate formarum, sic etiam in ordine repraesentativo ponimus materiam cognitionis (obiectum materiale) sub una tantum forma eodem tempore et instanti apparere posse, exclusa simultaneitate pluralitatis rationum cognoscendi, quantum ad vim movendi et determinandi intellectum quoad specificationem.

Principium generale est: id quod est determinatum ad movendum intellectum quoad specificationem sec. rationem visibilis vel scibilis, non potest simul movere sec. opinionem, dubium vel fidem. Virtualitas namque talis obiecti formalis quod est ad unum determinata sec. rationem obiecti formalis quo. Si haec manifestat obiectum materiale sec. visibilitatem vel scibilitatem, non potest simul manifestare sec. obscuritatem fidei, vel sec. labilitatem opinionis, aut sec. fluctuationem dubii. Inde etiam actus circa obiectum formale quod non possunt repraesentare perfectionem intellectus sec. visionem et sec. obscuritatem, nec eius imperfectionem sec. opinionem vel dubium et simul eius perfectionem sec. visionem vel firmam fidem. Idem dicendum est de habitibus, qui specificantur per obiecta formalia : idem habitus non potest esse visi et non visi, firmi et non firmi. Inde habitus contrarii in eodem subiecto simul esse nequeunt.

Bene tamen potest esse, quod in visione rei simul possint videri rationes credibilitatis, probabilitatis etc. obiecti. Sed hoc non est ponere circa illud simul actum scientiae, fidei vel opinionis.

63. *Proprietas obiecti fidei, qua incrementi et evolutionis est capax,* parit quaestiones maximi momenti pro Apologetica. Quomodo revelatio facta sit, ex fontibus et organis ipsius examinatis apparet. Sub hoc aspectu Apologeticae est exponere et defendere factum revelationis quoad actum et modum proponendi. Hoc fit in libro sequenti, in parte horistica. Ex analysi horum fontium apparet, revelationem non totam simul apparuisse, sed sec. successionem temporum ex uno primordiali ad perfectionem perductam fuisse. Hoc est *primum credibile,* in quo in potentia continentur omnia revelata incipiendo a Patriarchis, per Prophetas usque ad Christum eiusque Apostolos. Novae veritates revelatae per solum Deum inductae sunt in primum credibile, ratione naturali nihil cooperante ad earum obiectivationem formalem. Primum autem credibile proponitur in Protoevangelio, cuius alteram expositionem in S. Paulo invenimus : accedentem ad Deum oportet credere, quod est, et quod inquirentibus se remunerator sit. *In hoc consistit incrementum fidei simpliciter,* cuius rationem quaerit Apologetica refutando prius theorias, sec. quas hoc incrementum ad solas causas naturales

immanentes reducendum est (Rationalismus, Sentimentalismus, Modernismus), postea vero assignando rationem Div. sapientiae, quae hominem lapsum convenienter tali via perduxit ad perfectam cognitionem salutis per Christum assequendae. Axiologia Apologetica ex suppositione procedit, quod finalitas totius revelationis actualis ex humanitate lapsa, per Christum salvanda, desumenda sit. Inde quaerit, quomodo singula stadia possibilia revelationis hunc finem resplendeant. Ex hac inquisitione pervenit ad conclusionem, quod *Christus saltem in potentia includatur in omnibus formis revelationis.* Haec potentialitas non est ex parte Dei, sed ex parte hominum hanc finalitatem eiusque specificationem capientibus. Quo magis sunt remoti a Christo, eo magis obscure hoc percipiunt, in plenitudine vero temporis clare illis proponitur: Ecce Agnus Dei!

64. *Possibilitatem autem incrementi fidei sec. quid,* quo non novae veritates proponuntur, sed illae, quae in virtualitate actuali revelatorum continentur, Apologetica proponit et contra diversas theorias ex ambiente defendit. Ambiens est cognitio naturalis, in cuius ambitu invenitur talis evolutio. Inde examen virtualitatis conceptuum naturalium.[1] *Ea quae explicite repraesentant, per alios conceptus aequivalenter exprimi possunt.* Item ex comparatione diversorum conceptuum, in eodem gradu abstractionis existentium novae veritates deduci possunt, quae eundem prae se ferunt valorem, ac conceptus primordiales. Haec est evolutio homogenea. Si *autem admiscentur conceptus, qui solum in potentia,* ideoque non ab intrinseco, ex inclusione actuali notarum, sed ab extrinseco connexi sunt et cohaerent, habetur evolutio heterogenea. Veritas ex iis deducta erit firma, non tamen visibilis in lumine simplici, sed in lumine composito ex virtualitate utriusque.[2]

65. *Possibilitatem transferendi hunc modum evolutionis etiam ad ambitum revelationis defendit Apologetica in Axiologia speciali.* Fundamentum est, quod revelatio ad manifestandas veritates supernaturales utitur conceptibus naturalibus, ut instrumentis. Inde nihil obstat, quominus sec. eadem principia diiudicentur quoad incrementum sec. quid, ac conceptus naturales. Sic asseritur *evolutio homogenea fidei,* quatenus per conceptus, vel formulas aequivalentes proponitur comprehensio explicita revelationis, vel remanendo in comprehensione actuali singulorum revelatorum, ex comparatione ipsorum deducatur nova veritas eundem valorem habens ac ipsae veritates formaliter revelatae. Haec est evolutio homogenea fidei, in qua rationes naturales solum per modum instrumenti et materialiter assumuntur pro deductione novae veritatis. Si autem per modum causae principalis et formaliter ingrediantur in deductionem et obiectivationem ipsarum, habetur

[1] Cf. Ism. p. 27. sequ.

[2] De his cf. Thom. p. 144. sequ.

evolutio heterogenea. Veritates sic obiectivatae non sunt obiectum fidei, sed Theologiae, quae valorem suum ex eo mutuant, quod in revelatis aliquo modo continentur atque cum iis in diverso gradu—actu vel potentia—ut revelabilia connectuntur.

66. Huic expositioni incrementi fidei opponuntur theoriae heterodoxae, sec. quas dogmata «non sunt interpretatio et explicatio revelatorum, sed ad summum approximativa quaedam expressio Evangelii, sec. modum nempe, quo aliqua ecclesia doctrinam evangelicam interpretata est et sibi repraesentavit, sive sec. experientiam subiectivam, sive sec. conditionem scientiae alicuius temporis. Imo dogmata aliquid Evangelio extraneum superaddunt, sive puram aliquam formulationem extrinsecam, resultantem ex evolutione vitae religiosae et denotantem tendentiam religiosam alicuius temporis (Seeberg), sive expressionem symbolicam experientiae religiosae (Sabatier), sive conceptum obligatorium alicuius ecclesiae particularis (Loofs), sive modum scientificum, quo doctrina evangelica (v. g. sec. mentalitatem philosophiae graecae) intellecta vel repraesentata fuit (Harnack). Per consequens dogmata non pertinent ad fidem, sed ad historiam religionis vel christianismi, mutanda sunt sec. meliorem experientiam vel scientiam. Quaedam dogmata, nempe catholica, ulterius simpliciter sunt expungenda, utpote corruptiva Evangelii.»[1]

67. Vis movendi obiecti, quocumque modo (in tabella de obiecto fidei) ad fidem pertinentis de Veritate prima desumenda est. Quod non obiectivatur in Ipsa, ad fidem pertinere non potest. Ad hoc autem, quod aliquid in Veritate prima obiectivetur, requiritur, quod ut obiectum materiale ab Ipsa acceptetur et per Ipsam, ut rationem formalem cognoscendi (motivum), teneatur. Quo minus unum alterumve diminuatur, eo magis diminuitur ratio fidei Div. et transit in alium modum cognoscendi, sive theologicum, sive naturalem. Ex his Apologetica deducit conclusionem quod notio fidei Div. a S. Paulo et a Concilio Vaticano tradita est rationabiliter acceptabilis et ex parte ambientis sufficienter defensa. *Apologetica non utitur his, sicut et aliis propositionibus ex fontibus revelationis desumptis, tanquam argumentis, sed respicit ea per modum obiecti defendendi, cuius rationabilitatem ex ambiente ostendit.* Inde conclusio huius quaestionis: subiectum Theologiae est possibile et acceptabile ut veritas realis, cum obiectivationi ipsius medium proportionatum in Veritate prima assignari possit.

68. In quaestione ulteriore sermo est *de actu fidei.* Quod consistat in assensu et in solo assensu praestito veritatibus revelatis propter auctoritatem Dei revelantis, ex dictis sat clare apparet. Sed quaeri potest, an sit assensus caecus, a rationibus naturalibus nullo modo fulcitus, aut obesquium rationabile, quod intellectus etiam ex aliqua

[1] R. Schultes O. P.: Introductio in historiam dogmatum. Parisiis. p. 31. De his cf. hic. p. 133. squ. et. p. 173.

visione praestet. Visio haec non potest referri ad obiectum fidei, quod sec. se remanet obscurum, inevidens. Ideo tantum circa ambiens versatur, ex quo apparet, assensum fidei sine aliquo dispendio cognitionis naturalis praestari posse. Inde duae possibilitates proponuntur: a) *assensus fidei provenit ex aliquo saltu mortali*, ut aiunt. Mens haeret incertus in duplici quadam veritate. Naturaliter cognoscibilibus assentit ex visione, revelatis vero absque ulla connexione cum istis, propter revelationem. En positio Existentialismi Kierkegaard, et cum quibusdam modificationibus Theologiae dialecticae. Huiusmodi assertiones variis in modis propositae fuerunt, scientifice autem fundantur supra theoriam cognitionis Kantianae. Commune omnibus his modis dicendi est: acceptationem veritatum religiosarum, etiamsi a Deo deriventur, ad solum sensum religiosum vel ad affectum exclusive reducendum esse, ita ut motiva credibilitatis visa ad ipsam nihil prorsus cooperentur. b) Altera possibilitas est: *ad assensum fidei necessaria esse motiva credibilitatis per rationem naturalem visa.* Haec est positio Theologiae catholicae, atque eius possibilitas proponitur ac defenditur in Apologetica. Examen huius possibilitatis vocatur *Analysis actus fidei.* Hic examinantur omnia principia moventia ad assensum, sicut et lumen subiectivum, in cuius virtute intellectus revelata acceptat. Si motiva credibilitatis aliquem influxum in hoc assensu exerceant, quaeritur, an ingrediantur in ipsum per modum principiorum formalium, vel sint solum rationes materiales, adiuvantes et obstacula eius removentes.

69. *Haec analysis potest esse genetica.* Actus fidei consideratur ut actus humanus. Sec. schema, quo repraesentatur genesis actus humani, ostendimus mentem hum. successive et per gradus pervenire posse ad ultimum iudicium practicum: assentiendum est revelatis sufficienter fulcitis per praeambula fidei et motiva credibilitatis.[1] Sec. hunc processum removentur obstacula irradiationis luminis Div., per infusionem menti hum. communicati. Inde mens fidelis non indiget saltu mortali, ut assentiat revelationi, sed ex fundamentis naturalibus, non virtute propria, sed ex gratia Dei transire potest ad acceptandam revelationem.

70. *In analysi obiectiva seu ontologica* determinandum est, an et inquantum obiectum materiale revelationis sit supernaturale. Sunt quaedam, quae per media naturalia nullo modo obiectivari possunt: in aliis natura per modum instrumenti assumi potest; in reliquis vero concurrit ut causa principalis partialis vel totalis. Ex se ergo recipere possunt obiectivationem formalem per diversa media. Prout tamen veritas talium obiectorum formalis ad revelationem Div. reducenda est, solum lumen Div. est ratio sufficiens ea cognoscendi. Eo namque modo, quo resplendet in eis ordinatio ad finem revelationis, solum ex auctoritate Dei sunt cognoscibilia. Ideo nec motiva credibilitatis materia-

[1] Hoc schema vide Hitv. p. 244.

lia formaliter ad assensum movere possunt, ita ut ultimum principium, ad quod acceptatio revelationis, ut veritatis realis, reducenda est, et medium in quo assensus fit, sit Veritas prima in loquendo et docendo. Quod haec auctoritas Dei non sit naturaliter nota, nec sec. totam eius extensionem mensuret revelata, infra n. 13. squ. p. 131. squ. exponemus. Ex his deducitur: *actum fidei esse supernaturalem quoad rem, non quidem quoad substantiam, sed quoad subiectum.*

71. Ex assensu fidei tali modo praestito sequitur, per fidem non poni in mente hum. duplicem veritatem incohaerentem, sed *duos ordines sibi subordinatos.* Analysis actus fidei diffuse proponitur in Hitvédelmi tanulmányok p. 203 sequ. Harmonia inter fidem et cognitionem naturalem in quaestione quarta huius tractatus exponitur. Ex quibus elucet: post assensum fidei excludi omnem motum dialecticum in his, quae ad fidem pertinent atque in virtualitate positiva Veritatis primae obiectivantur.

72. *Actus fidei* vocatur «credere», quod similitudinem quamdam habet cum cogitatione in hoc, quod mens fidelis non est perfecta per plenam visionem veritatis, quam in visione beata expectat.[1] Ideo est substantia sperandarum rerum, inquantum per ipsam inchoatur vita supernaturalis in mente, tendens ad plenam cum Deo coniunctionem in perfecta possessione bonorum Div., quorum summa vel synthesis («substantia») proponitur in revelatione actuali. Huic descriptioni S. Pauli superadditur: argumentum non apparentium. Per hoc differt fides ab aliis obiectis, quae non captivant mentem (ut opinabilia et dubiosa), vel per evidentiam intrinsecam movent ad assensum (ut intelligibilia et scibilia). Fides arguit mentem movendo ad firmum assensum, sed ex evidentia extrinseca, propter auctoritatem Dei, quae nec falli, nec fallere potest. Textum S. Pauli desumptum ex Hebr. 11. 1. S. Thomas II—II. 4. 1. explicat et sic in forma definitionis proponit: *fides est habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis, faciens intellectum assentire non apparentibus.* Alia definitio fidei invenitur ex Conc. Vatic. complectens totum de fide tractatum. «Fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur, virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adiuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli, nec fallere potest. Est enim *fides*, testante Apostolo, *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*[2]»

73. *De habitu fidei* non multa in Apologetica dicenda sunt. Assignatur ratio necessitatis, sicut et possibilitatis ipsius. Necessitas desumitur ex eo, quod mens hum. sec. potentias et habitus naturales non est proportionata ad percipiendam veritatem realem revelationis. Circa veritatem logicam et possibilitates cum ipsa coniunctas potest operari,

[1] II—II. 2. 1. [2] Denz. 1789.

ut fit in Theologia materiali et profana, sed hoc non perducit ad formalem cognitionem, quae in sola Veritate prima fieri potest. Ideo necessaria est elevatio facultatum hominis per infusionem luminis intellectualis supernaturalis et per roborationem voluntatis, ex nova vi inclinante eam versus lumen Div. in se. Ratio possibilitatis huius elevationis eadem est ac generalis submissionis ad influxum Div. revelantem. Ex analysi naturae intellectus demonstratur existentia potentiae obedientialis, ex facto autem revelationis desumitur necessitas talis habitus, sine quo revelata nec cognosci nec firmiter teneri possunt ideoque revelatio ipsa inutilis foret.

74. In determinatione harmoniae inter fidem et veritates naturales utimur schemate repraesentante habitudinem inter mysteria et ordinem naturalem. Hoc opus perficitur particulariter circa singulas veritates in Dogmatica speciali. In Apologetica dantur tantum suprema principia, quibus subiectum Theologiae defenditur contra theorias negantes illud. En schema.

Conspectus modorum, quibus relatio inter mysteria et veritates naturales, seu inter ordinem naturalem et supernaturalem exprimi potest

- RELATIO inter NATURAM et MYSTERIA
  - oppositio: repugnantia, discrepantia, disharmonia
    - absoluta: impossibilitas mysteriorum: Naturalismus (materialismus, positivismus, rationalismus, existentialismus Heidegger; philosophia vitae Klages)
    - relativa
      - ex oppositione speculativa
        - proveniens ex impossibilitate applicandi categorias rationis speculativae ad noumena: Agnosticismus Kantii.
        - ex impossibilitate solvendi paradoxa ex comparatione mysteriorum et cognitionis naturalis exorta: Existentialismus Kierkegaard
      - ex impossibilitate vere exprimendi mysteria in conceptibus hominis lapsi: Theologia dialectica Barth.
  - concordia, harmonia, conciliabilitas
    - absoluta per modum indistinctionis
      - ex identitate Dei et naturae (Pantheismus), vel absoluti cum sua evolutione: Transcendentalismus Hegelianus
      - ex indentitate medii
        - divini: Ontologismus
        - humani (subconscium, transformationes): Modernismus
    - relativa per modum distinctionis
      - ab intrinseco: formalis; ex demonstrabilitate possibilitatis positivae mysteriorum: Semirationalismus
      - ab extrinseco: materialis, ex ambiente demonstratio non-impossibilitatis mysteriorum: Theologia catholica

APPENDIX AD TRACTATUM DE FIDE.

De obiecto formali, seu de ratione cognoscendi formali fidei Divinae.

1. De obiectivatione materiae cognoscibilis, seu veritatis ontologicae rerum.

75. Nomine obiecti formalis intelligitur communis ratio, sub qua vel sec. quam plura (quae obiecta materialia dicuntur) ab aliqua potentia vel habitu attinguntur. Obiecta materialia inter se distincta diversa vel disparata per obiectum formale in unitatem reducuntur. Retenta propria virtute movendi potentiam vel habitum eorumque actus terminandi per modum obiecti quod, sub influxu obiecti formalis novam vim movendi obiective recipiunt atque, ut obiecta, in novo esse constituuntur. Hoc esse est relativum, esse ipsorum absoluto superadditum. Non mutatur eorum esse physicum, nec veritas ontologica, sed constituuntur in novo esse obiectivo, in quo proportionantur (coaptantur) potentiae vel habitui (vel in quo esse obiectivo exprimitur coaptatio utriusque, potentiae scl. et obiecti). Sec. haec obiectum formale definiri potest : *ratio, per quam res ab aliqua potentia vel habitu attingibiles in determinato esse obiectivo (generico vel specifico) constituuntur.* Sicut esse physicum rerum solemus distinguere sec. materiam et formam, ita et esse obiectivum ex his duobus principiis constitui—analogice—ponimus, loquimurque de obiecto materiali et formali. Pro materia ponimus attingibilitatem rei, tamquam *id quod* attingitur et ut tale terminat operationem facultatis vel habitus. Non est distincta ab entitate rei physica, sed explicat eius potentialitatem terminandi actum facultatis vel habitus. Differt ab ea virtualiter et est quasi pars potestativa ipsius : eo ipso quod est ens, potest etiam esse terminus, seu relationem alterius ad ipsum ordinati terminare valet. *Esse terminum vel esse attingibile non est finis intrinsecus entitatis physicae* (i. e. ex se non ordinatur ad aliud), sed est finis extrinsecus, a finalitate alterius intrinseca determinatus. Hoc exprimitur in formula concreta : scibile non dependet a scientia, sed econverso. Ut igitur attingibilitas praedicari possit de entitate physica, necessario requiritur aliquid, quod ex sua constitutione ordinatur ad attingendum, ad operationem circa illam. Ex hoc induit rationem obiecti et ponitur in esse obiectivo per modum obiecti materialis. Ex hac relatione reali (utique transcendentali) facultatis ad obiectum fit quasi selectio eorum, quae in entitate physica attingibilia sunt. Illa, ad quae

facultas nullam proportionem habet, remanent pro ipsa inattingibilia. *Inde dicta proportio determinat conditiones et modalitates attingibilitatis*, seu rationes, sub quibus, vel quibus mediantibus facultas quaedam obiectum materiale attingere, cum ipso communicationem habere potest. Inde ex dependentia facultatis ad obiectum, sec. proportionem ad ipsam, desumitur formatio obiecti materialis, seu illud esse obiectivum, quod illi in determinato ordine attingibilitatis competit. Eadem res physice spectata diversis modis est attingibilis sec. proportionem facultatum vel habituum. Virtus enim movendi per modum obiecti ex his duobus sumitur: *a)* ex selectione facta per coaptationem principii operantis (facultatis vel habitus), *b)* ex determinatione conditionum operandi circa ipsum, desumpta ex eadem proportione dicti principii.

76. *Esse igitur obiectivum ex duobus dependet: a)* fundatur per entitatem physicam, in qua selectio fit, *b)* specifice determinatur per proportionem facultatis ad ipsam. His duobus positis entitas physica in novo esse relativo, in esse obiecti, apparet. Hoc esse est reale, realitate non physica, sed obiectiva, habetque *vim influendi* iterum non physice et quoad exercitium, sed *intentionaliter, quoad specificationem operationis.* Esse obiectivum est terminus connotatus duarum realitatum ad invicem relatarum eademque firmitate pollet, quam principia fundantia possident. Sec. diversam proportionem, seu coaptationem principiorum operandi ad entitatem physicam, determinatur non tantum esse obiectivum genericum, sed et specificum usque ad species specialissimas, ratioque diversificationis ex eadem desumitur proportione magis magisque contracta. Inde *in esse obiectivo id se habet per modum materiae, quod in entitate physica secernitur et est aptum ad attingendum, id vero quod se tenet ex parte proportionis determinantis conditiones attingibilitatis, consideratur per modum formae.* Ideo loquimur de obiecto materiali et formali. Primum est id, quod attingitur, secundum vero ratio attingibilitatis, per quam plura et diversa in unitatem (relativam) rediguntur.[1]

77. Sec. haec principia diiudicamus *esse obiectivum rerum intelligibilium* seu obiectum materiale et formale intelligibilitatis vel attingibilitatis entitatis physicae per intellectum. Materia esse obiectivi intelligibilis est «esse conformabile» entitatis physicae, quod veritas ontologica audit.[2] Formale eiusdem esse desumitur ex proportione intellectus ad esse conformabile, seu ex ordine facultatis intellectivae ad ipsum. Actus autem intellectus completur per visionem, ita ut intellectus tunc tantum sit in termino, in suo esse perfecto, si obiecto tamquam viso assimiletur. Si ad visionem non pervenerit, nondum est perfectus, sed quasi in motu, in via, ad esse perfectum. Inde de proportione intellectus

[1] Haec principia valent pro esse obiectivo tum sec. rationem veri (pro ordine intelligibilium), tum sec. rationem boni (pro ordine appetibilium).

[2] I. 16. 5.

ad suum obiectum iudicandum sec. illam rationem cognoscendi, quae visionem parere potest. *Illud igitur erit obiectum formale quo, ratio cognoscendi alicuius intellectus, in quo obiectum materiale, sive sec. totam eius extensionem, sive sec. partem (selectionem) intueri et videri potest.* Debet igitur esse aliquid sive simpliciter, sive in aliquo ordine primum cognitum, ex cuius cognitione, in cuius lumine intellectus procedit ad cognitionem aliorum in hac primordiali notione contentorum. *Est id, quod cognoscitur, quo, ex quo et in quo alia cognoscuntur.* Si facultas intellectiva ponatur ut primordiale, sive simpliciter sive in aliquo ordine, i. e. si praecederet rationem entis, tunc esset factiva sui obiecti in esse obiectivo, imo et in esse physico, tum quoad materiale, tum quoad formale. Talem prioritatem ponit Idealismus absolutus Fichte, Schelling et aliorum. Relativam prioritatem invenimus apud Kant, qui autonomiam intellectus hum. proclamando, formalem rationem cognoscendi a formis a priori, in sola natura intellectus fundatis et unice in ipsa radicatis, reponit. Non ergo tribuit intellectui potentiam efficiendi obiecta materialia, bene tamen constituendi ipsa in esse obiectivo. Independenter igitur a formis a priori nulla competit obiectivitas realitati in se (Ding an sich), in esse physico, sed solum sec. capacitatem intellectus formati (per formas a priori) et sec. suam naturam leges cognoscibilitatis et esse obiectivi praescribentis et determinantis, apparere potest per modum phaenomeni in esse obiectivo. Non igitur «Ding an sich», sed selectiones eius sec. extensionem formarum a priori sunt obiecta cognitionis intellectualis. *Esse ergo obiectivum Kantii est positio materiae ex se inaccessibilis, per impressiones sensuum indeterminate apparentis et sec. extensionem formarum a priori intellectus determinabilis.* Hoc est esse obiectivum phaenomenale, in quo continentur singula phaenomena, utpote obiecta cognitionis scientificae. Esse obiectivum Idealismi absoluti autem est pure phaenomenicum, utpote nullum fundamentum habens in aliquo «Ding an sich», ab intellectu distinctum.

78. Prioritatem intellectus respectu obiecti aliter quoque fingere possumus, quatenus ipsum non per modum facultatis, sed per modum ideae consideramus. Sic esse quoddam ideale, communis ratio entis est factiva obiecti materialis tum quoad esse physicum, tum quoad esse obiectivum. Sic Hegel, pro quo ens commune logicum est primordiale, cuius determinatio per affirmationem (thesis) et negationem (antithesis) in quadam synthesi contingit. Esse igitur obiectivum (quod etiam ad esse physicum transfertur) Hegelianum est ens commune logicum, in quo obiecta singula (materialia) continentur et per reductionem ad ipsum (ratione evolutionis illius) esse determinatum recipiunt. — Ad hanc prioritatem reduci potest Idealismus obiectivus, qui valorem obiectivum et sic ipsum esse obiectivum plus minusve independenter ab ipso esse physico ponit et solum id agnoscit, quod in illo exclusive sec. rationem veri, ab omni alio principio independentis invenitur. *Esse*

obiectivum est valor aeternus ex sola ratione veri immanentis desumptus. Sic opponitur Psychologismo, qui in determinando esse obiecto respicit ad ea, quae ex parte facultatis cognoscitivae se tenent, et differt ab Hegelianismo, cuius positionem de evolutione obiectiva entis communis non admittit.

79. *Sec. principia S. Thomae primatus entis est omnino ponendus.* Actus enim praecedit potentiam et ratio entis, ut quid absolutum, est fundamentum aliorum transcendentalium, quae nonnisi sec. privationem vel relationem de ente praedicantur. Intellectus autem per modum potentiae concipitur, quatenus eius esse per ordinem ad obiectum determinatur. Esse item obiectivum fundari debet super esse physicum, cuius valorem repraesentativum exprimit. Ex his omnibus concludere possumus, quod non intellectus, nec esse obiectivum primatum autonomicum possidere potest, sed utrumque ad leges in natura entitatis physicae fundatas, accomodari debet. Lumen igitur intellectuale ita dependet ab esse physico, quod huic proportionari debeat, non tantum quoad obiectum materiale, sed etiam quoad formale, seu quoad rationem cognoscendi. Aliis verbis: *in esse physico fundantur omnes rationes attingibilitatis, ita ut lumen intellectuale, tum ut potentia, tum ut habitus, ex coaptatione ad ipsas desumendum et in ratione specifica determinandum sit.* In hoc exclusive sensu asserimus, formalem rationem cognoscendi (obiectum formale, formam cognitionis) ex habitudine intellectus ad obiectum materiale, ad esse physicum, desumendam esse. Sic nulla asseritur autonomia intellectus, sed dicta relatio (transcendentalis) praecise supra dependentiam apparatus intellectualis ab esse physico, ut attingibili (conformabili) fundatur.[1]

80. *Lumen igitur intellectuale subiectivum* (ratio qua, vel sub qua subiectiva) *est illa potentia seu virtus intellectui conveniens, qua in esse physicum* (obiectum materiale) *cognoscendum ponderatur et ad illud sibi assimilandum ordinatur.* Hoc est constitutivum intellectus vel habituum eiusdem in esse naturae, et est ordinativum totius dynamiae ipsorum. Ideo dicimus intellectum sec. hanc formalem rationem procedere in omnes actus circa obiecta materialia eaque alio modo, quam per vires in ipso determinatas, attingere non valere. Sic pro intellectu humano ratio qua subiectiva cognoscendi est lumen intellectuale abstractivum, ita ut quaecumque obiecta materialia ipsi offerantur, ea — sec. proportionem naturalem — nonnisi ex impressione sensuum et per conversionem ad phantasmata attigere valeat. Si vero sec. suam rationem generi-cam et sec. suam potentiam obedientialem subiiciatur influxui superioris agentis, per infusionem novi habitus elevatur in ordinem supernaturalem, non amplius tenetur proprio termino, sed ingreditur terminos alienos, tunc iam eius activitas, non lumine abstractivo regitur sed per lumen Divinum gloriae, prophetiae vel fidei.

[1] I. 79. 2.

81. *Lumen autem intellectuale obiectivum* (ratio formalis qua vel sub qua obiectiva) *est illud primum cognitum*, et per modum visionis habitum vel assimilatum, quod totam obiecti materialis cognoscibilitatem *continet vel comprehendit et sic illud in esse obiectivo constituit.* Est igitur illa proportio obiectorum cognoscibilium, sec. quam ad intellectum referuntur et ut ab ipso determinate attingibilia manifestantur. Est synthetica ratio continens actu vel in potentia omnia cognoscibilia; est directiva singularum cognitionum, quae nonnisi per ordinem ad ipsum valorem intellectualem recipiunt, ab ipso formantur et quasi in ipso—in esse obiectivo—subsistunt. *Ordo ad ipsum format obiecta materialia*, ideo vocatur obiectum formale quo, et materia per ipsum formata et in esse cognoscibili (obiectivo) constituta obiectum formale quod appellatur. *Et quia ducit* (per modum medii quo et ex quo) *in cognitionem* omnium obiectorum materialium imo, et quia *ista in ipso* (tamquam in medio in quo) *recipiunt determinatum modum cognoscibilitatis et induunt valorem firmum in esse veri et obiecti, merito vocatur ratio cognoscendi* (ismereteszköz - Erkenntnismittel — ut quo et ex quo — ismeret-indokoló tényező—Erkenntnisgrund — ut in quo). Sec. virtualitatem huius rationis loquimur de ratione materiali, si sit tantum medium cognoscendi ut quo vel ex quo, et de ratione formali, si sit *medium in quo proportionatum.* Hoc primum cognitum, tamquam obiectum formale et ratio formalis cognoscendi est directivum et mensura totius dynamiae intellectualis obiectivae i. e. mensurat omnem actum intellectus quoad valorem sec. realitatem, actualitatem, possibilitatem et impossibilitatem. Quae omnia diversificantur sec. virtualitatem ipsius. Si enim ratio cognoscendi sit actus omnium intelligibilium, sicut esse obiectivum essentiae Divinae, tunc active se habet respectu singulorum obiectorum et actualem eorum cognitionem imo et comprehensionem eorum intellectui praebet. Ideo dicimus de Deo, quod seipsum cognoscat in seipso (ut formali ratione cognoscendi), alia vero a se in seipsis, tamquam obiectis in esse Divino sec. propriam veritateme Divino manifestatis.

82. *Pro intellectu humano*, qui est facultas essentialiter passiva obiectum formale seu ratio cognoscendi est lumen obiectivum abstractum ab ente in quidditate sensibili, quod est ratio entis communis, entis participati. *Haec ratio non est actus omnium intelligibilium, sed tantum potentia ipsorum*, quatenus virtualitate pollet perducendi intellectum hum. ad omnia cognoscenda, cum quibus necessariam habet connexionem. Inde est lumen valde debile et obscurum tum relate ad obiecta materialia, tum relate ad illorum formalem cognoscibilitatem. Quoad namque obiecta materialia ad illa tantum refertur, quae sunt quidditates sensibiles, ad ea vero quae cum illis causaliter connectuntur, intantum extenditur, inquantum haec sec. rationes ipsius exprimi possunt. Ratio entis communis, praecise quia abstractam entis notionem absque ulla exhibet coarctatione, est universalis et infinita. Sec. virtualitatem

logicam est infinita in potentia, est praedicatum commune, ideoque ratio communis cognoscendi omnium ad intellectum hum. quocumque modo referibilium. *Est forma logica*, ad quam materia cognitionis refertur atque in compositione et divisione intellectus hum. ita formatur, ut veritatem (esse obiectivum) perceptibilem repraesentet. Inde generaliter dici potest, ens in quidditate sensibili esse obiectivum recipere a ratione entis communis sec. suam extensionem logicam considerati. *Sic obiectum formale in ordine logico intellectus hum. est ratio entis communis* (universalis) *quoad extensionem infiniti.* Haec virtualitas formativa exprimitur (in intellectu componente et dividente) per copulam, quae a logicis forma iudicii appellari consuevit, in quo esse obiectivum, i. e. aliquid tum ab esse physico, tum ab esse cognoscentis distinctum («res extra animam») exprimitur. — *Eadem ratio entis communis quoad comprehensionem* (obiecta materialia) *considerata est infinita actu, at non formaliter, sed virtualiter.* Non enim resplendent in ipsa singula obiecta in se, sec. propriam veritatem (formaliter), sed tantum sec. virtutem dirigendi et mensurandi activitatem intellectus quoad valorem obiectivum. Praestat supremum principium diiudicandi singula obiecta sec. rationem actus et potentiae, qua illa inter se referri et ordinari possunt, tum partialiter tum sec. totalitatem synthesis hum. *Inde omne esse physicum in ratione esse communis habet esse obiectivum.* Ex ipsa desumitur selectio obiectorum materialium ad intellectum sec. proportionem naturalem referibilium. Quae in virtualitate eius actuali non continentur, sunt supernaturalia et ad illorum cognoscibilitatem nova ratio formalis obiectiva intellectui praesentari debet, et haec erit obiectum formale intellectus in respectivo ordine. Haec ratio formalis cognoscendi constituit materiam in esse obiectivo luminis Divini, quod est vel ipsum esse lucidissimum essentiae Div. (in visione beata), vel speculum aeternitatis, seu manifestatio rerum sec. illam praesentiam, quam in aeternitate ex intuitu Dei habent, et in cuius virtnte communicantur (revelantur) in prophetia, vel tandem locutio Dei per solam communicationem auctoritativam facta, ut in cognitione fidei.

83. Quotiescumque igitur sermo est de obiecto formali alicuius cognitionis, sive scientificae, sive fidei, *sedulo examinanda est virtualitas illius rationis cognoscendi*, per quam obiecta materialia determinate cognoscibilia redduntur atque in unitatem rediguntur. Virtus mensurandi singulas cognitiones sec. valorem obiectivum ab eo dependet, quomodo ratio communis cognoscendi ipsas contineat. Continere autem potest positive, positivo-negative et negative, sec. diversos modos, et sec. has modalitates determinanda est extensio ipsius, sicut et firmitas, quam singula cognita in esse obiectivo sub influxu ipsius obtinere possunt. Extra limites actualis positivae virtualitatis haec ratio cognoscendi per modum obiecti formalis accipi non potest, ita ut si per virtualitatem eius negativam aliquid probetur et in esse obiectivo constituatur, nullum

valorem realem obiectivum possideat. Si autem illa utamur sec. virtualitatem positivo-negativam vel negativo-positivam, valor obiectorum solummodo partialiter stabilitur sec. gradum influxus obiecti formalis.

II. Dev obiectivatione revelabilium et revelatorum.

84. *Applicemus praedicta principia ad obiectum et actum fidei Div.* Certum est veritates a Deo revelatas solum per auctoritatem Dei obiectivari posse. Obiecta materialia fidei sunt ea, quae a Deo revelata sunt atque in deposito fidei continentur. Inter illa inveniuntur multa, quae per rationes naturales cognoscendi obiectivari possunt, quatenus tamen ordinantur ad maiorem manifestationem mysteriorum, sunt iam in ordine quoque obiectorum materialium supernaturalia, quia ista ordinatio per media naturalia nullo modo manifestari potest. Inde sub hoc aspectu unice per auctoritatem Dei obiectivari possunt. Hoc absque ulla restrictione asseri debet de mysteriis in sensu stricto, quae sec. se excedunt virtualitatem omnis medii naturalis. Idem dicendum est de mysteriis in sensu lato proprie sumptis, quae partialiter excludunt obiectivationem naturalem. Haec igitur valorem realem nonnisi in auctoritate Dei recipiunt et in ipsa movent intellectum ad assensum. *In quanam extensione virtualitas movendi auctoritatis Dei acceptanda sit, ut obiecta materialia firmum valorem, firmum esse obiectivum obtineant, intellectumque captivare possint?*

85. Auctoritas est medium, ratio formalis cognoscendi eorum, quae nec immediate, nec mediate evidentia sunt, nec per propriam experientiam cognoscuntur.[1] Praestat materiam cognitionis proponendo dicta obiecta, eaque format praestando medium in quo cognoscendi. Unica ratio, unicum argumentum acceptandi et firmiter tenendi talia obiecta, est pondus auctoritatis communicantis. Ideo praecedere debet acceptationem eorum cognitio auctoritatis quoad existentiam, locutio eius seu communicatio de facto habita, sicut et securitas de veritate (de scientia in auctore praesente) et de veracitate ipsius. Si de his constat, nihil obstat, quominus locutioni eius assentiamus.

86. *Auctoritas igitur est argumentum.* Ideo S. Paulus merito vocat fidem argumentum non apparentium. Argumentum autem est medium, in quo aliquid ut acceptabile, assensu dignum apparet, est ratio, principium, medium in quo cognoscendi. Intellectus namque per solum obiectum cogitur «quia ex efficacia demonstrationis cogitur quis conclusioni assentire».[2] Inde in tantum illo uti possumus, inquantum se extendit virtualitas ipsius. Haec autem potest esse positiva et adaequata rebus cognoscibilibus, quae in ipsa ita continentur, ut nulla alia ratio vel argumentum ad ipsarum obiectivationem requiratur. In hoc casu

[1] De auctoritate cf., quae auctor scripsit in Divus Thomas. (1946) p. 292. squ. et p. 349. squ. Hic p. 105.

[2] 11. Ver. 3. ad 2.

omnia eadem firmitate tenentur, quae ipsi argumento in se competit. Si est positivo-negativa, tunc vis eius in captivando, movendo intellectu iam minuitur et indiget completione per aliam rationem cognoscendi. Multo magis valet hoc, si virtualitas est negativo-positiva, quia tunc obiectivatio magis ab alio argumento petitur, quam ab ipsa primaria ratione cognoscendi. *Nullius valoris realis est vis motiva argumenti, si sec. virtualitem pure negativam consideretur.* Sic enim solum de possibilitate vel non-impossibilitate testari potest, se habet unice per modum ambientis, in quo obiectum non in se continetur et resplendet, sed solum ut in alio, in veritate et ratione alterius manifestatur.

87. *Pro fide divina unicum argumentum, unica ratio formalis cognoscendi, in esse obiectivo revelata constituens, est auctoritas Dei.* Quidquid Deus, Veritas prima et veracitas essentialis, revelat, est verum. In hac formula exacte circumscribitur obiectum materiale quod per auctoritatem Dei quocumque modo iustificari et obiectum formale quod cognitionis creatae fieri potest. Si namque nomine auctoritatis intelligimus argumentum cuiuscumque cognitionis firmae, tunc auctoritas Dei est argumentum simpliciter ultimum et firmissimum cuiuscumque veritatis creatae. Non quidem, acsi immediate mensuraret esse obiectivum cognitorum, sed quatenus omnia creata et temporalia reducenda sunt ad rationes aeternas. In hac hypothesi abstrahimus a qualitate obiecti materialis, an sc. sit in se immediate vel mediate evidens, vel obiectum propriae experientiae. *Nomine auctoritatis sic intelligimus ultimum principium, a quo valor cognitionis dependet.* In hoc sensu vocantur auctoritates, dignitates, prima principia ex ratione entis efformata, quae quidem sunt auctoritates in genere, auctoritas autem Dei est simpliciter et transcendentaliter talis, a qua omnis vis motiva in esse obiectivo dependet. Sic ergo assumitur in propositione praedicta Deus ut Veritas prima et Veracitas essentialis tamquam motivum, ratio cognoscendi (sive immediata sive mediata) omnium, quae ab ipso, tamquam esse per se subsistente (tum in ordine physico, tum in ordine obiectivo) derivantur. Ens in quidditate sensibili non ex propria virtute est ens et cognoscibile, sed per participationem ab esse per se subsistente. *Inde ultima ratio veritatis ontologicae rerum creatarum est auctoritas Dei,* quamvis veritas cognitionis non eodem modo mensuretur per eam. In spiritibus puris auctoritas Dei (per rationes aeternas) immediate mensurat veritatem cognitionis, pro veritate vero cognitionis hum. nonnisi tamquam mensura mediata assumi potest.[1]

88. In omni tamen casu Veritas prima solum in illa extensione pro argumento assumi potest, in qua materiam cognoscibilem praestat. Intra hos limites testificatio eius est valoris infallibilis. Haec continetur positive in auctoritate Dei tamquam in argumento virtualiter positive

[1] Cf. Örök. p. 92.

amplectente et in esse obiectivo constituente ista determinata obiecta materialia. Cetera autem nonnisi positivo-negative, vel tantum negative in auctoritate Dei continentur, ideoque solum sec. has rationes illa uti possumus tamquam argumento.

89. *In auctoritate Dei nullam possumus invenire distinctionem ex parte virium motivarum.* Eadem est vis ipsius ad quamcumque materiam applicetur. Obiectum materiale sub ratione obiecti formalis auctoritatis Dei eandem semper habet firmitatem: quidquid Deus communicavit (obiectum materiale) eadem veritate est verum, qua Deus est verus et verax (obiectum formale quo). Sic auctoritas Dei est infinita quoad extensionem et quoad vim movendi, sicut et Ipse est infinitus. Bene tamen est coarctatio eius consideranda ex parte obiectorum materialium (inquantum ipsa tamquam argumento utimur), ad quae probanda actu applicabilis est tamquam ultima ratio cognoscendi et ratio constituens ea in esse obiectivo. Sub hoc respectu possumus et debemus distinguere inter auctoritatem Dei naturalem et supernaturalem.[1] Prima refertur ad actuale universum per modum naturae a Deo creatum, secunda autem respicit alia obiecta in virtualitate entis participati non contenta atque per ipsam non obiectivabilia. Pro natura utimur auctoritate Dei, sec. quod obiecta correspondent rationibus aeternis, ita ut haec conformitas sec. proportionem intellectus hum. ad ens in quidditate sensibili manifestari valeat. Pro rebus autem supernaturalibus eadem auctoritas Dei pro argumento assumi potest, si a Deo communicentur, et in illa extensione, intra quam communicantur seu revelantur supernaturaliter, supra exigentias subiectivas naturae hum. et supra virtualitatem obiectivam esse participati.

90. Ex his evidens est *auctoritatem Dei naturalem a nobis assumi non posse pro formali ratione cognoscendi, pro obiecto formali et argumento fidei.* Est tantum ratio materialis cognoscendi, praeambulum fidei, a qua obiectivatio revelatorum inutiliter expectatur. In potentia namque et pure negative illa continet. Item non potest assumi auctoritas Dei supernaturalis in abstracto, in tota sua latitudine, cum extensio ipsius quoad obiecta materialia, quae communicare potest, nos omnino lateat. Haec omnia nonnisi in potentia in ipsa continentur, ideoque pro omnibus indiscriminatim tamquam argumentum assumi nequit. Remanet ergo, quod *auctoritas Dei concreta, contracta ad actualem revelationem* (tamquam obiectum materiale) *mensuret veritatem fidei atque constituat omnia credenda in esse obiectivo.* Quidquid ergo per respectum ad auctoritatem Dei revelantis proponitur utpote in ipsa actu-positive contentum, est

[1] *Auctoritas Dei naturalis:* vis movendi testificationis Div. sec. correspondentiam entis in quidditate sensibili cum rationibus aeternis.

Auctoritas Dei supernaturalis: vis movendi testificationis Div. sec. correspondentiam locuti onis Dei salutaris cum rationibus aeternis.

obiectum formale quod fidei Div. Ea autem, quae nonnisi positivo-negative, vel negativo-positive in auctoritate Dei continentur (ut sunt conclusiones theologicae et obiecta secundaria infallibilitatis Ecclesiae) obiectum fidei divinae esse non possunt, sed sub duplice lumine, theologico nempe, tenentur, prout sc. ex auctoritate Dei, ut applicata ad revelabilia per discursum rationis deducuntur.[1] Illa tandem, quae pure negative, in auctoritate Dei concreta continentur, ut sunt revelationes privatae, ab actuali revelatione independentes, vel aliae sententiae, intra limites revelationis actualis possibiles vel non-impossibiles, nec obiectum fidei divinae, nec scientiae theologicae fieri possunt. Sec. haec principia iudicandum est de evolutione homogenea et heterogenea depositi fidei. Quanto magis assertio quaedam appropinquat ad argumentum desumptum ex auctoritate Dei in actuali revelatione manifestata, tanto magis potest fieri obiectum fidei divinae, vel cum ipsa necessario connexa. Et quo magis ad assertionem probandam assumitur argumentum ex ratione humana desumptum, tanto magis est sententia humana. Inde rationabiliter ponit S. Thomas *obiectum fidei formale Veritatem primam inquantum in doctrina Ecclesiae manifestatur.*[2] In praesenti namque oeconomia salutis a Christo Domino instituta, fides est ex auditu verbi Christi per magisterium Ecclesiae communicati. Ecclesia non revelat verbum Dei, nec accipit novas revelationes communicandas, sed custodit depositum fidei illudque fideliter proponit. Sic magisterium Ecclesiae est proxima regula fidei proponens ea, quae fide divina propter auctoritatem Dei, credenda, vel sec. approximationem ad ipsam, tamquam certa, tuta vel periculosa habenda sunt.

91. Ex his elucet sensus effati S. Pauli: *fides ex auditu.*[3] Totum obiectum materiale eius desumendum est ex locutione Dei, ex revelatione. Quidquid Deus taliter loquendo non communicavit, obiectum fidei esse nequit. Item auctoritas Dei est ratio formalis cognoscendi seu obiectum formale quo fidei, ita ut nulla alia ratio inductiva assensus asignari possit. Solum quoad ea, quae exterius, materialiter se habent in obiecto fidei (praeambula, motiva credibilitatis) possunt per rationem naturalem attingi. Inde obiectum formale quod fidei sec. se totum ex auditu, ex communicatione ab extrinseco movet.

92. Contra hoc exsurgit Rationalismus negando supernaturalitatem fidei, imo et reiiciendo quemcumque auditum, seu doctrinam ab extrinseco communicatam.

a) Rationalismus generaliter negat existentiam veritatum supernaturalium ideoque possibilitatem revelationis. — Nomine fidei intelliguntur veritates religiosae undequaque provenientes, quarum mensura

[1] De lumine theologico cf. Thom. p. 37 et 144 squ.

[2] II—II. 5. 3.

[3] Cf. Hitv. p. 121 squ.

(obiectum formale quo) est lumen rationis naturalis. Inde agnoscunt Bibliam, non ut collectionem veritatum revelatarum sed tamquam librum, in quo multa ad religionem pertinentia continentur. Quidquid in Biblia rationem excedere videtur, est aut ad metas rationis explicandum, aut tamquam mythos habendum. Inde in fide nulla invenitur veritas firma et immutabilis. Mutatur sec. progressum rationis invenientis et explicantis, magisterium autem docens, praeter rationem individualem vel collectivam agnosci non potest. Sic *Rationalismus biblicus et philosophicus.*

b) Rationalismus Immanentisticus premit vestigia Kantii, qui autonomiam rationis hum. proclamat. Leges cognoscibilitatis determinantur a ratione. Cognitio scientifica ultra limites phaenomenorum extendi non potest. Noumena obiectivationem realis valoris solum ab affectu recipere possunt. Inde origo omnium veritatum, ad Deum spectantium, in affectu quaeri et inveniri debet. Revelatio non est doctrina vel locutio ab extrinseco proveniens, sed procedit ex applicatione sensus religiosi ad indigentias circa Deum, ex quo unio quaedam cum Deo rebusque divinis exsurgit. Ideo in sensu huius unionis consistit religio, et iste sensus vocatur fides. Revelatio est productum sensus religiosi, et fides non est operatio rationis, sed ad affectum pertinet. Non est agnoscendum magisterium divinum vel ecclesiasticum. Solus affectus erga Divinitatem quemcumque, si non edocere, bene tamen recte ordinare potest. Inde nullae sunt veritates immutabiles fide divina tenendae, sed sec. mutabilitatem affectus sec. temporum, locorum et personarum exigentias diversimode proferuntur quaedam formulae, quae dogmata vocantur. Affectus, sentimenta rationali modo exprimi vel definiri non possunt. Plus-minusve vage proponi possunt in formulis, verbis quae tamen non sunt eorum expressiones aequivalentes

Sec. haec non repugnat ponere quandam immutabilitatem in religione rebusque religionis et in fide. Immutabile est illud «ignotum», quod mens hum. per sua desideria quaerit, sed attingere vel invenire nullo modo potest. Non potest inveniri per rationem — est irrationale — rationi inaccessibilis. Non potest ad nos loqui de seipso, cum sit incomprehensibile, nec in ulla formula vel categoria rationi naturali pervia exprimi valet. Istud «ignotum» quaerunt omnes per affectum religiosum et sibi per medium «sentimenti» exprimunt. Qualiscumque sit iste «sensus ignoti», est bonus et regulativus vitae religiosae.[1]

c) Immanentismus in Modernismo pervenit ad culmen omnium haeresum circa fidem propositarum. Loco affectus religiosi ponit subconscientiam, de cuius latebris proferuntur quaedam ad religionem pertinentia. In hoc consistit revelatio, quae non est locutio Dei ad hominem.[2] Est manifestatio quaedam, non rationalis, i. e. per argumenta

[1] Inde oritur Liberalismus vel Latitudinarismus religiosus.

[2] Imo e converso dicere debemus, revelationem esse locutionem hominis sibimetipsi factam de «ignoto».

fulcita, sed affectiva, sensus divinorum, indigentiis et exigentiis cuiuscumque accomodata. Hae experientiae religiosae collectae transeunt in possessionem communitatis, quae ecclesia vocatur, recipiuntque quasdam formulationes in dogmatibus, quae non sunt immutabiles, sed sunt incitamentum pro ulterioribus experientiis religiosis, ex quibus dogmata prioribus omnino contraria vel contradictoria exsurgunt.[1]

93. Fundamentale pro his positionibus est indigentia religiosa. Volumus esse perfecti et unionem cum infinito habere. Infinitum autem per demonstrationem vel per quamcumque operationem logicam attingere non possumus. Ideo ad illud extenditur affectus cum suis desideriis, amplectitur illud sec. suum posse et sic conscius fit existentiae eius realis in sensu credentis. *Impleri sic per infinitum, unice interest homini.* Aliae determinationes, definitiones et partitiones sec. essentiam, proprietates etc. nullius sunt valoris.

94. Communis idea de revelatione — aiunt — est puerilis: Deus numquam locutus est, non potest loqui. Ut Le Roy ait, Deus non habet os, nec cogitandus est per modum alicuius professoris, qui multa incomprehensibilia proponit et loquitur. Vel forse prophetae sunt os et lingua Dei? Sed isti asserendo quod vocem Dei audierunt vel Deum viderunt, hallucinationi subdebantur.

Tyrell: Revelatio non potest venire ab extrinseco. Sic dari potest aliqua occasio, ex qua homo procedat ad experientiam religiosam, sed absque revelatione personali (sc. immanenti), nulla fides dari potest. Per studia scientifica potest quis multa de rebus religiosis sibi assimilari, fidem tamen non plus habet, quam canis.

95. Sec. *Rationalismum philosophicum* obiectum materiale fidei est id, quod per rationem hum. excogitatur circa Deum. Inde eodem modo se habent ea, quae in Polytheismo, Monotheismo vel Pantheismo asseruntur. Obiectum vero formale est ratio, quae diversimode iustificat et mensurat excogitata. Inde omnia possunt esse obiectum formale quod fidei, dummodo per aliquem philosophandi modum probentur. Inde Indifferentismus religiosus: unusquisque ordinet suam ad Deum relationem, prout ipsi videtur.

96. Sec. *Immanentismum* obiectum materiale fidei est id, quod homo sec. indigentias suae vitae affectivae producit et sentiendo in se tenet, tamquam experientiam religiosam. Obiectum vero formale fidei est correspondentia ex subconscientia prolatorum cum sensu religioso et cum indigentiis religiosis cuiusque.

97. In *utroque* negatur origo veritatum religiosarum ex magisterio Dei, quod in lege naturae vel in revelatione supernaturali esset fundatum. Ideo negatur qualiscumque firmitas et immutabilitas veritatum religiosarum, quae simpliciter subduntur mutationi subiecti cogitantis vel

[1] De his cf. Denz. 2072 squ..

sentientis. «Veritas non est immutabilis plus quam ipse homo, quippe, quae cum ipso et per ipsum evolvitur» — ut Loisy ait.[1]

98. Fundamentum harum theoriarum invenitur in assertione impossibilitatis ordinis supernaturalis et revelationis. Haec refutata est supra p. 44. squ. et p. 53. squ. Posita possibilitate revelationis, necessitate metaphysica affirmatur immutabilitas revelatorum, nisi quis sentiat (ut theologia dialectica) mentem hum. incapacem esse ad percipiendum et vocibus sec. veritatem significandum verbum Dei. Demonstrata possibilitate in analogiis et variis similitudinibus entis participati rationes esse per se subsistentis vere concipiendi et exprimendi, immutabilitas et invariabilitas absoluta dogmatum inconcusse probata agnosci debet. Inde Apologeticae est diversas quoque theorias cognitionis examinare et sec. veritatem diiudicare.

99. Prout ex subiecto Theologiae deduci potest vel cum ipso conciliari potest, dogmata sunt enuntiationes, in quibus veritates a Deo revelatae proponuntur. *Δόγμα* ex *δοκέω* significat opinionem, vel firmam veritatem aut decretum invariabile. Cum mens hum. componendo et dividendo intelligat, iudicia sua in enuntiationibus compositis significare debet, quae aciem mentis ad rem significatam dirigunt. Revelatio quoque Div. utitur huiusmodi enuntiationibus, secus pro hominibus inintelligibilis foret.[2] Eodem modo propositio credendorum ab Ecclesia in certis formulis contingit, quae dogmata vocantur. Nomine igitur dogmatis intelligere possumus aut formulas, per quas acies mentis fertur ad veritates revelatas (mysteria), vel ipsam rem significatam, quae est esse Dei. Dogmata ut enuntiationes sunt composita, prout vero ex parte rei significatae considerantur sunt simplicia.[3] Obiectum fidei est res significata, enuntiationes vel formulae dogmaticae autem sunt instrumenta pro percipienda veritate rei, quae invariata et invariabilis remanet. Formulae dogmaticae possunt sub variis conceptibus et verbis proponi, quae tamen apta esse debent ad hoc, quod eandem rem semper menti praesentent.

100. Dogma in sensu catholico est propositio vel enuntiatio veritatis in deposito fidei (in verbo Dei scripto vel tradito) contentae, et ab Ecclesia, sive per magisterium ordinarium, sive per iudicium sollemne ab omnibus ad credendum propositae. Ideo dogma semper est veritas obiectiva a Deo revelata, et non expressio «sensus religiosi» subiectivi, vel «sensus» aut determinatio ecclesiarum particularium (Gemeinde-Glaube). Est insuper norma directiva fidei et morum, ideoque non oritur ex experientia religiosa, nec ad eius variationes mutari potest. Praecedit igitur et dirigit vitam religiosam Deo acceptabilem.

[1] Denz. 2958.

[2] Cf. hic p. 149. n. 19.

[3] II—II. 1. 2. Cf. hic p. 113. n. 57.

RESUMPTUM.

Quid accipit Axiologia Apologetica ex analysi subiecti Theologiae?

101. Unaquaelibet religio proponit principium quoddam, aliquam enuntiationem centralem, circa quam omnes particulares propositiones versantur et in qua hae continentur. Haec vocatur subiectum religionis. Subiectum religionis revelatae et ab Ecclesia catholica propositae desumpsimus de fontibus revelationis et in ultima analysi ex doctrina Ecclesiae. Consideratur ut factum quoddam historicum. De facto apparet in dictis fontibus, et Apologetica suscipit officium illud iustificandi. Estne possibile, et acceptabile, potestne proponi tamquam mensura revelationis et revelatorum? Inde divisio Apologeticae in duas partes. Quaenam sunt conditiones acceptabilitatis? Circa haec versatur Axiologia Apologetica. Secunda quaestio : utrum fontes revelationis et auctoritates proponentes possint iustificari sec. missionem a Deo acceptam? Haec est iustificatio subiecti Theologiae quoad valorem realem. Hoc opus perficitur in secunda parte Apologeticae, ubi de auctoritate organorum revelationis agitur, atque ostenditur, missioni divinae, assensu acceptandae nihil obstare, cum ista per media scientifica ita probari possit, ut ratio naturalis, etsi illam in se non videat, tamen nihil afferre valeat, quae acceptationem ipsius infirmare posset.

102. *Possibilitatem subiecti Theologiae ab Ecclesia catholica propositi directe demonstrare non possumus*, cum in nullo medio obiectivo naturali positive contineatur. Bene tamen ostendi potest, quod negative in ipsis contineatur, i. e. illis non opponatur et cognitio firma utriusque in eadem mente possibilis sit. Aliis verbis: ea, quae naturaliter cognoscuntur, sese per modum ambientis habent respectu dicti subiecti. Ideo Axiologia Apologetica determinare debet ea, quae exterius se habent ad subiectum Theologiae et compleri valent per ea, quae in ipso ponuntur. Ex hac comparatione et analysi accipit Axiologia illa principia, quae contactum ordinis naturalis et supernaturalis ut possibilem manifestant. Ex eo, quod natura non in se habet rationem sui, pervenimus ad ordinem supernaturalen ponendum. Ex negatione imperfectionum naturam necessario comitantium, efformatur conceptus ordinis supernaturalis singulorumque graduum, in quibus apparere potest. Notiones naturales ex abstractione positiva hauriuntur ex sensibilibus, notiones

vero de ordine supernaturali per abstractionem negativam acquiruntur, quae innititur virtualitati pure potentiali conceptuum naturalium cum subiecto Theologiae comparatae.

103. Eadem via procedimus in determinando modo attingendi ordinem supernaturalem per revelationem et sec. singula media cognoscendi per prophetiam, inspirationem et fidem. Ex his omnibus deducitur conclusio : subiectum Theologiae est possibile et rationabiliter acceptabile, quia ex parte ambientis nihil afferri potest, quod acceptationem ipsius modo quocumque impediat vel impossibilem reddat. *Axiologia Apologetica tradit illas notiones et illa principia, quae removent impedimenta huius acceptationis eiusque rationabilitatem ostendunt.*

104. Subiectum Theologiae repraesentat aliquod principium supernaturale, in mediis naturalibus positive non contentum. Quaeritur, an talis enuntiatio obiectivari possit? Huic quaestioni debet respondere Apologetica. Infidelitas negat, Apologetica antem per viam synthesis procedendo demonstrat, 1. quod mediis proportionatis supernaturalibus sec. propriam veritatem obiectivari possit, 2. quod etiam cognitioni scientificae accessibile sit, quatenus per ambiens materialiter obiectivari potest. Non enim opponitur cognitioni naturali privative, sed cum illa componi valet. Non continetur quidem positive in ambiente, bene tamen negative-permissive, utpote non exclusum per eam. Res, quae ad hanc obiectivationem assumuntur, designantur in conspectu IV. supra p. 32 posito.

105. Necessitas et momentum totius negotii Apologetici ex sequenti patet consideratione. Theologia asserit se esse scientiam subalternatam Theologiae Dei et beatorum![1] Ad hoc necessarium est ostendere aliquod principium, in quo omnes eius assertiones et conclusiones comprehendantur et uniantur, atque per ipsum ad scientiam Dei continuentur, ipsi coniungantur. Hoc munus exercet subiectum Theologiae. Ideo necessarium est, ut aptitudo eius ad hoc munus demonstretur et defendatur. Obiectum namque scientiae est veritas intrinsece, at non immediate, sed in alio, in principio quodam, evidens. Si igitur principium (subiectum) scientiae non ostendatur tamquam in se firma veritas, tunc totum aedificium scientificum ruit. Theologia autem veritates ad Deum spectantes proponit, omniaque ad Deum revelantem reducit, prout revelatio in doctrina Ecclesiae manifestatur. Si ergo principium, ad quod respicit et quod totam inquisitionem theologicam dirigit, non proponatur, tamquam tuta et realis norma mensurans assertiones et conclusiones theologicas, Theologia non erit scientia realis. Ideo necessaria est aliqua scientia, quae pro obiecto habet defensionem supremi principii, subiecti Theologiae, probationem eius, ut medii coniungentis cum scientia Dei. Hoc expectatur ab Apologetica.

[1] I. 1. 2.

SECUNDA PARS

APOLOGETICA CRITICA

DE ORGANIS REVELATIONIS DIVINAE

LIBER PRIMUS

HORISTICA GENERALIS

DE PRINCIPALI OBIECTO ET CONSUMMATORE REVELATIONIS

SEU

IUSTIFICATIO MISSIONIS ET DIVINAE LEGATIONIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

Conspectus tractatus de legatione Jesu Christi seu de Eius missione divina.



INTRODUCTIO.

De oeconomia salutis generis humani lapsi.

1. Revelationem a Deo dari propter salutem humani generis, tamquam dogma fundamentale a Christianismo proponitur. Hoc in Apologetica simpliciter praesupponitur, probatio vero eius a Theologia Dogmatica expectatur. Apologetica tamen eandem veritatem tum ex notione religionis deducit, tum ex historia religionum probare conatur. Religio namque est conscia hominis ad Deum ordinatio, consequens ad relationem eius ad Deum, tamquam ad principium sui esse. Absque agnitione huius dependentiae et absque ordinatione totius activitatis humanae ad Deum, tamquam ultimum finem, *homo versaretur extra ordinem Universi, esset imperfectus, aeger, absque sanitate sibi conveniente.* Hanc sanitatem per religionem collatam vocamus *salutem,* atque ipsam quaerit homo religiosus. Inquisitio salutis diversimode invenitur in singulis religionibus. Permultae formae imperfectae atque intentionales referuntur in historia religionum quae tamen, consideratis exigentiis atque aspirationibus naturae hum., omnino insufficientes sunt dicendae. Semper namque mens creata reputatur informis — ut ait S. Thomas I. 106. 1. ad 3. — nisi ipsi primae veritati inhaereat. Ex hac analysi elucet praedictam salutem non coarctari ad limites naturae, sed expectandam esse salutem perfectam, quae ex immediata coniunctione cum Veritate prima oritur. Inde inquietudo tum singulorum individuorum, tum etiam totius generis humani, in inquisitione huius perfectae coniunctionis. Si igitur Deus det revelationem, certe cum hac ad homines loquitur intentione, ut illis salutem perfectam communicet.

2. Alia autem ex parte genus hum. nobis cognitum derivatur ab Adamo lapso, ideoque portat onus peccati et damnationis. Ab hoc onere per proprias vires liberari non potest, sed solum per misericordiam Dei ex his eruitur malis. Si igitur Deus hominem in Adam ad ordinem supernaturalem elevatum non vult derelinquere, sed ad dignitatem filiationis divinae iterum assumere intendit, *principale obiectum revelationis ille modus salvandi erit, quo homo lapsus a dictis oneribus liberatur et in filium Dei adoptivum consecratur.* Expectatio huius salvationis implicite saltem in omnibus religionibus invenitur, explicite autem in aliquibus libris sacris Judaeorum et Christianorum proponitur. Libri sacri Judaeorum expresse loquuntur de semine mulieris, quod conteret

caput serpentis i. e. restituet regnum Dei, in quo benedicentur omnes gentes, eiusque personam et historiam incipiendo a mirabili conceptione usque ad mortem turpissimam describunt. Providentia quoque specialis circa populum Judaicum nonnisi typus est salutis generis humani et continuo provocat ad Salvatorem universalem, per quem a maximo malo liberatio expectanda est, a quo erigitur domus Domini, ad quem confluent omnes gentes. Inde s. d. Antiquum Testamentum pro centro habet Salvatorem generis hum. Absque relatione ad Ipsum, A. T. caret anima, est mera profana collectio historiarum aliarumque narrationum non semper aedificantium.

3. Sec. narrationem Evangeliorum vir quidam, Jesus ex Nazareth, asserebat, se esse illum Messiam, de quo A. T. scribit, imo se esse Filium Dei. Venit animam ponere pro multis, vult esse doctor omnium gentium, ad quas salus et doctrina salvifica per Apostolos et per Ecclesiam ab Ipso fundatam pervenire et usque ad finem mundi intacta et integra permanere debet. *Estne iste Filius hominis fide dignus vel reiiciendus tamquam somniator, deceptus et deceptor?* En quaestio apologetica summi momenti. Ex doctrina Ipsius desumitur subiectum Theologiae, quod substantiam omnium sententiarum et dictorum (*λογία*) Jesu repraesentat. Jesus testimonium de seipso dat atque se tamquam consummatorem legis et divinae revelationis proponit. Pater non intendit aliquid aliud hominibus communicare praeter ea, quae olim per Prophetas, novissime autem per Filium suum locutus est. Salus apparuit. Qui crediderit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Inde sec. Novum Testamentum *principale obiectum revelationis est salus per Jesum Christum danda. Ipse vero est principale organum medians revelationem Div. eamque consummans.*

4. Defensio igitur Jesu Christi, ut principalis obiecti atque consummatoris revelationis est *corona scientiae Apologeticae.* S. Thomas in Prologo ad III. Partem tractatum de Salvatore vocat consummationem totius theologici negotii. Justificare ergo Ipsum et defendere dignitatem Jesu, tamquam Messiae, Filii Dei atque Salvatoris et Doctoris generis hum., est revera negotium consummandi et coronandi scientiam Apologeticam. Si demonstretur Ipsum esse fide dignum, legatum a Deo missum, axiologia Apologeticae erit sermo de veritatibus realibus et non merus ludus logicus.

5. *In hac parte sermo est de revelatione facta et historice consummata.* Inde per modum praeambuli praemittitur tractatus de necessitate amplectendi religionem sive in lege naturae revelatam, sive ex gratia Dei communicatam per revelationem supernaturalem. Deinde tractatur de existentia revelationis in formis intentionalibus et postea in forma perfecta a Jesu proposita et stabilita. Hic examinantur quaestiones ad Jesum Christum spectantes: an sc. extiterit et quomodo persona Ipsius atque doctrina defendi et iustificari possit.

6. NB! Christus solummodo ut Filius hominis vocari potest organum revelationis. Ut est Deus est causa principalis prima. Ut homo est causa principalis secunda, quia ea, quae a Patre audivit, hominibus testatus est, et sec. hanc acceptionem et communicationem vocari potest organum revelationis. Auctoritate tamen propria loquitur et docet, quia sec. communicationem idiomatum illud, quod est Verbi est etiam Filii hominis, alia vero ex parte doctrinam, quam in Patre vidit et ab ipso audivit, accepit tamquam suam, per modum formae permanentis, et non erat tale organum tantum motum, sicuti erant Prophetae.

7. In hac secunda parte Apologeticae agitur de ostensione existentiae, de *demonstratione facti revelationis, ideoque de valore actuali subiecti Theologiae.* Possibilitas logica ostensa est in Aixologia generali. Fundamenta possibilitatis realis ponuntur in Axiologia speciali, quatenus ex comparatione obiectorum, quae in subiecto Theologiae proponuntur, cum mediis cognoscendi naturalibus, ut ambiente, apparet possibilitas mediorum cognoscendi proportionatorum pro perceptione revelationis et revelatorum. Superest demonstratio de facto revelationis et de revelatis determinate communicatis. Defensione organorum feliciter peracta affirmare possumus: hoc esse revelatum et fide Div. credendum. quod ab ipsis audivimus. Ex hoc proponitur nobis obiectum materiale fidei et ipsa organa agnoscibilia sunt, tamquam tutae normae mensurantes veritates credendas atque propter auctoritatem Dei acceptandas. Ex hoc valor actualis subiecti Theologiae apparebit: proponitur, tamquam medium obiectivum aptum ad mensurandam revelationem actualem. En conclusio huius secundae partis.

8. Ad hunc finem pervenimus per examen et iustificationem omnium fontium et organorum, de quibus asseritur, quod in ipsis sit depositus totus thesaurus actualis revelationis salutaris. Origo divina, seu influxus Dei, sub quo hi fontes sunt vera organa revelationis, non supponitur, sed probanda est. Quod directe fieri nequit, sed ex applicatione eorum, quae in Axiologia stabilita sunt, eruitur. Singillatim applicantur motiva seu criteria revelationis ad dicta organa, et si exitus est favorabilis, formatur iudicium: *acceptabilitati actualis revelationis et subiecti Theologiae, quod est synthesis eius, ex parte ambientis nihil obstat, imo acceptatio ipsa est valde rationabilis, utpote obiecto historice posito et certo praestanda.*

9. Inde veritas historica organorum ostendenda et probanda remanet. Utimur iisdem mediis, ac scientiae historicae (heuristica, critica, exegesi et synthesi genetica fontium seu testimoniorum), quae tamen sec. diversitatem organorum variantur. Organa namque, quae ut testes revelationis adducuntur, sunt animata et inanimata. Animata sunt personae, nomine Dei loquentes, inanimata autem libri aliaque facta, documenta vel monumenta. De his omnibus iudicium

sec. regulas criticae scientificae est efformandum, quod in diversis scientiis Apologeticae subordinatis fit. Istae scientiae possunt habere propriam finalitatem independentem. Sic sunt scientiae sui iuris. Communiter tamen subordinantur finalitati vel Apologeticae vel impugnationis religionis. *Inde eruuntur conclusiones omnino oppositae, prout virtualitati subiecti Theologiae subordinantur vel ab ipsa eximuntur.* Pro utroque fine assequendo summi momenti est critica S. Scripturae. Si haec fini Apologeticae servire intendit, non tantum subordinatur, sed et subalternatur ipsi, taleque servitium praestat, cuius valor vix aestimari potest. *Apologetica acceptat conclusiones huius criticae eisque utitur ad suum finem assequendum, qui est ostensio (in ordine synthesis) valoris realis-actualis subiecti Theologiae.* Quam magni et numerosi sint conatus infidelitatis destruendi veritatem S. Scripturae, sicut et hypotheses divinam Christi missionem negantes vel infirmare conantes, apparet ex conspectu de Naturalismo infra pag. 174. dato. Nullibi requiritur talis eruditio ac sagacitas, quam in hac parte Apologeticae. Disciplinae auxiliares, ut est Critica S. Scripturae, Archaeologia, Historia religionum, Scientia religionum comparata, Historia dogmatum et ipsa Historia sacra, debent collaborare, ut negotium Apologeticum ad perfectionem perducatur. Inquisitiones axiologicae quidem plurimum adiuvant mentem, ut circa supernaturalia, circa revelationem et revelata bene speculari et in eorum intelligentia tuto procedere possit, sed firmitatem circa realitatem eorum nonnisi ex hac parte haurire potest.

10. Inde haec pars merito vocatur *Apologetica apodictica, critica seu demonstrativa.* Alia quoque nomina ipsi coaptari possunt, ut horistica, heuristica, heuretica. Omnia ista annunt totam inquisitionem huius partis ad hoc ordinari, ut ex examine seu critica fontium et organorum revelationis soliditas virtualitatis subiecti Theologiae stabiliatur. Nomina partim referuntur ad modum inquisitionis, cetera vero assignant stabilitatem et firmitatem valorum ex hoc provenientem. Per criticam fontium et organorum pervenimus ad cognitionem valoris realis subiecti Theologiae. Ex hac ostensione, per viam inventionis (heuristice vel heuretice) assecuta (ideo vocatur apodictica ex ἀποδείκνυμι = ostendo), demonstrata ex ambiente, procedit acceptabilitas subiecti Theologiae quoad valorem realem, ex eo vero, quod valor extensionis virtualitatis determinatur, circumscribuntur limites, intra quos applicari potest. Ex hac parte est horistica, seu finaliter determinativa (ex ὁρίζειν = terminare, terminis circumscribere In primo libro huius partis proponuntur ea, quae valorem realem subiecti Theologiae stabiliunt. Tractatus huc spectantes praecipue sunt apodictici, seu critici. In secundo libro tandem traduntur ea, quae ad valorem actualem eius spectant, quod sc. illo tantum intra limites auctoritatis Ecclesiae uti licet. Hi tractatus sunt katexohen horistici, determinativi. Ex fontibus iam iustificatis ostendenum est, in revelatione non qualecumque principium regulativum

proponi, sed illud, quod innititur manifestationi Veritatis primae intra limites doctrinae ab Ecclesia propositae.

11. Liber primus huius partis comprehendit quattuor tractatus in Synopsi assignatos.[1] Ratio eorum, necnon connexionis inter se et cum subiecto Theologiae expositione non indiget. In sequentibus solummodo ea proponemus, quae ad iustificationem missionis divinae Domini nostri Jesu Christi pertinent. Ut enim ex n. 29 patet,[2] ex hoc negotio feliciter perfecto, iustificatio singulorum organorum revelationis desumi potest. Ideo Apologeticae, qua tali, sufficit haec defensio legationis Christi. Revelatio formalis quoad suum valorem sic sufficienter probatur. Inquisitio autem quoad vestigia revelationis relinquitur scientiae religionum comparatarum, de quarum conclusionibus Apologetica iudicat eo modo, quo Theologia diiudicat consclusiones scientiarum particularium, eisque utitur ad suum finem.[3]

NB! In hac praecipue materia prae oculis habenda sunt ea, quae Conc. Vatic. definivit. «Ut nihilominus fidei nostrae *obsequium rationi consentaneum* (cf. Rom. 12. 1.) esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa iungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accomodata. Quare Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: «Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante et sermone confirmante sequentibus signis.» (Mt. 16. 20). Et rursum scriptum est: «Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco». (2. Petr. 1. 19.)[4]

[1] V. p. 206—207.

[2] V. p. 159.

[3] I. 1. 5. ad 2. In ordine synthesis conferunt ad obiectivationem subiect Theologiae, in ordine autem analysis diiudicantur lumine ipsius.

[4] Denz. 1790.

TRACTATUS PRIMUS.

De coniunctione organorum revelationis Div. cum Deo.

Hanc materiam in diversas distribuimus quaestiones, quarum prima est

I. De organis, seu de instrumentis revelationis in generali.

12. *Organum* (*ὄργανον*), instrumentum significat. Est id, quo, vel cuius ope aliquid exequitur vel perficitur. Inde est medium quoddam inter agens et opus eius. Est igitur id, quo agens ad opus suum exequendum utitur. Sic pro supposito hum. facultates animae sunt organa, quibus mediantibus operatur, intelligit, vult, sentit et opera vitae vegetativae exercet. In organismo hum. organa in sensu stricto vocantur illae partes integrales accidentales dissimilares corporis, ad quas facultates sensitivae et vegetativae ligantur et quarum ope operationes suas exequuntur. Sic oculus, auris, cerebrum, nervi, cor, intestina etc. Omnes facultates hominis habent propriam finalitatem, ad quam ex natura sua transcendentali relatione ordinantur. Haec tamen finalitas naturaliter subordinatur bono et fini totius suppositi, i. e. organa, proprium finem non assequuntur, nisi per propriam operationem serviant ad stabiliendum bene esse suppositi. Ad hoc namque a natura conferuntur, ut suppositum possideat principia proportionata operationis. Suppositum est id, quod est et quod operatur, facultates autem sunt principia, quibus operatur.

13. *Simili modo loquimur de organis in unitate artificiali.* Organum sic significat machinam, quae est instrumentum artis, quo mediante artifex exequitur ideam suam eamque in ordine reali, tamquam opus ponit. Partes integrales machinae organa dici possunt ad similitudinem partium organismi, et confluunt ad operationem eius absque defectu exequendam. Differunt ab organis naturalibus, quae necessario sunt dissimilares quoad constitutionem et finalitatem, partes autem machinae hoc non requirunt, quamvis quaedam imitatio etiam hac ex parte in machina inveniatur.

14. *Organum igitur dicitur per ordinem ad aliquod agens principale, cuius est instrumentum.* Sec. analogiam sic nominari solent diversa instrumenta (oculus, manus, pes etc.) alicuius agentis iis utentis. Si ergo revelatio generaliter tamquam locutio Dei notificetur, nihil obstat, quominus analogice omnia quibus communicatio revelationis ad homines pervenit «os» Dei vocentur. Ipsa locutio sumitur hic analogice, multo magis organa

quibus mediantibus communicatio contingit, analogice «os» Dei dicuntur. *Inde organa revelationis sunt sive facta ordinis physici* (miracula, vel alii eventus, qui sunt signa voluntatis Dei) *vel moralis, in quibus Deus suam potentiam supernaturalem manifestat, sive personae, quibus mediantibus veritates ad salutem hominum necessarias communicat.* Personae per modum magisterii, proponendo doctrinam a Deo communicatam homines edocent, eventus autem physici vel morales vel per modum signi doctrinae vel argumenti ipsius (probando interventum divinum) movent ad percipiendam vel acceptandam doctrinam a personis propositam. Personae universaliter Prophetae vocantur, ubi non sola praedictio futurorum intelligenda est, sed qualiscumque acceptio doctrinae immediate a Deo facta.

15. Organa revelationis Div. ideo assimilavimus instrumentis in organismo existentibus, quia *duplex est genus usus instrumentorum, materiale sc. et formale.* In usu materiali considerantur instrumenta eiusdem ordinis et aptitudinis ad aliquod opus exequendum. Agens igitur principale utitur iis absque ulla subordinatione inter se. Per accidens fit, quod assumat nunc hoc vel illud instrumentum. — *Alius est usus formalis,* qui fit secundum subordinationem per se. Consideratur finis operis exsequendi, ad cuius assecutionem instrumenta dissimilaria sunt necessaria, ita ut usus huius vel alterius instrumenti sic a fine desumatur, quod simul et ordo usus eorum inter se determinetur. Sic sunt organa in organismo naturali ordinata : sunt partes dissimilares corporis, et simul inter se subordinata. Sic in supposito hum. organa vitae vegetativae ita inter se subordinantur, ut confluant ad bonum huius vitae stabiliendum. Item subordinantur bono vitae sensitivae, organa vero huius serviunt vitae intellectivae, quae obiective ab operatione sensuum dependet. S. Thomas I. 47. 3. ponit unitatem mundi. «Mundus iste unus dicitur unitate ordinis, sec. quod quaedam ad alia ordinantur. Quaecumque autem a Deo sunt, ordinem habent ad invicem et ad ipsum Deum. Unde necesse est, quod omnia ad unum mundum pertineant.» Haec unitas est quidem artificialis, tamen per se, quae desumitur ex subordinatione ad finem gubernationis divinae.,[1] a qua et subordinatio partium Universi dependet. Similem invenimus ordinationem in illo opere Dei, quod ad stabiliendam salutem supernaturalem hominis ordinatur. *Manifestatio talis providentiae et gubernationis specialis Dei fit per revelationem,* quae per diversa signa contingit, quae a Deo assumuntur sec. proportionem ad finem revelationis (inde unitas obiectiva revelationis) et inter se quoque ita subordinantur, ut confluant ad eundem finem assequendum (inde evolutio revelationis simpliciter, i. e. sec. novas vel clariores communicationes quousque perveniatur ad perfectam et consummatam revelationem).

[1] I. 103. 2—3.

II. Quomodo intelligenda sit immediata Dei locutio in revelatione?

16. *Ad notionem instrumenti duo ex necessitate requiruntur. a)* Instrumentum habet actionem propriam, *b)* illam tamen non exercet propria virtute, sed sub motione agentis principalis et in ordine ad finalitatem ipsius. Instrumentum servit finalitati principalis agentis atque in hoc servitio vel subordinatione consistit nota distinctiva instrumenti a causa principali: *non est sui iuris in movendo et finalisando.*

17. De instrumentalitate in sensu lato loquimur, ubicumque invenitur *subordinatio* causarum et agentium. Subordinatio generatim sese extendit ad eductionem de potentia in actum, ut aliquid propriam actionem, sec. propriam formam et proportionem agere valeat. Sic in praemotione physica formaliter sumpta, quae ut talis non confert novas agendi vires, nec proprias elevat, sed solum de potentia in actum transfert. Inde sub motione Dei generali remanet defectibilitas causae secundae, quae peccare et a bono intento deficere potest. Subordinatio non tantum in motione physica, quae ad exercitium virium refertur, invenitur, sed etiam *in motione obiectiva*, quatenus principium quoddam, sive cognoscendi sive volendi, magis universale movet ad admittendam conclusionem vel ad volendum media ad finem apta. Sic subordinantur omnes scientiae hum. particulares Metaphysicae, volitiones autem concretae fini communi seu ultimo. In pura subordinatione nihil immutatur in operatione quoad specificationem: omnia producuntur sec. proprias, nativas proportiones agentis moti, quod per modum causae principalis operatur. *Talis subordinatio simplex ad Deum et ad finem revelationis non sufficit.* In revelatione communicantur veritates supernaturales, quae in medio obiectivo naturali sec. se totae, ut mysteria in sensu stricto, vel sec. partem, ut mysteria in sensu lato proprie, non continentur. Si vero naturaliter cognoscibilia (ut mysteria in sensu lato improprie) assumantur, tunc ordo ipsorum ad Veritatem primam, ad finem revelationis addit aliquam notam supernaturalem, quae ex rationibus naturalibus desumi nequit. Inde in obiecto revelationis, qua talis, cognoscendo, subordinatio simplex non sufficit. Accedit etiam, quod revelatio infallibili iudicio cognosci (in prophetia) et aliis proponi (in inspiratione hagiographica vel kerygmatica debeat. Creatura autem ex se est fallibilis et errori obnoxia. Inde ad iudicium infallibile formandum non sufficit simplex subordinatio, per quam finis revelationis, doctrinae sc. salutaris communicatio certa et infallibilis assequi non posset. Idem dicendum est de supernaturali operatione in miraculis (physicis et moralibus) et in praedictione futurorum eventuum. Omnia ista non continentur in rationibus seminalibus naturae; sec. proprias proportiones agentium naturalium produci ergo non possunt. Ideo ex simplici ad Deum subordinatione explicari nequeunt.

18. *Alio modo loquimur de instrumento in sensu latiore, quatenus*

agens quoddam dispositive operatur ad actionem vel finem alterius agentis. Sic parentes producendo per generationem corpus, dispositive agunt ad actionem Dei animam creantis. Sed pro revelatione et pro omni eventu supernaturali nulla cooperatio naturalis sufficit. Rationes namque seminales naturae supernaturalia nullo modo continent et solum sec. potentiam obedientialem illa respiciunt. Tota autem ratio potentiae obedientialis desumitur ab omnipotentia Dei, quae non ex naturali quadam connexione sed ad suum beneplacitum operatur quaedam supra vires et exigentias naturae. Nihilominus cooperatio instrumentalis dispositiva ex ordinatione Dei in actuali ordine providentiae supernaturalis invenitur, praesertim quoad remotionem prohibentis i. e. impedimentorum effectuum supernaturalium. Sic motiva materialia credibilitatis et credenditatis removent impedimenta influxus luminis supernaturalis fidei, ideoque apte vocari possunt instrumenta dispositive cooperantia ad actum fidei. Obiectum quidem fidei propria virtute movet ad assensum formalem nihilque ex motivis credibilitatis mutuat, attamen influxum suum exercet in mentem purgatam ab his, quae exterius apparent. *Purificatio igitur mentis ab impedimentis fidei potest considerari ut instrumentum dispositive operans ad fidem.* Generaliter dicere possumus, quod ea, quae in potentia naturali aliquando extiterunt (ut vita in cadavere) vel existere possent (ut visio in caeco nato), sunt instrumenta dispositiva pro aliquibus miraculis quoad subiectum vel quoad modum. Aliud enim est vitam dare lapidi ac homini mortuo. Similiter de dispositionibus ad prophetiam. Sunt enim quaedam naturales et morales indispositiones, quae impedire possent effectum prophetiae, puta si aliquis esset totaliter sensu naturali destitutus,[1] vel in vehementi passione aut in inordinata occupatione circa res exteriores.[2] Inde purgatio a talibus defectibus est dispositiva cooperatio ad prophetiam.

19. Alius modus cooperationis instrumentalis consistit *in modificatione virtutis principalis agentis,* quae vel augetur, vel proportionata redditur effectui producendo. Sic canalis regulat fluxum aquae eiusque vim in movenda rota auget. Similiter vis electrica per instrumenta distributiva apta redditur ad singulos effectus (lucis, caloris etc.) producendos. *Natura tali modo adhiberi potest et, de facto adhibetur in revelatione.* Conceptus namque naturales, sicut et verba aliaque signa sunt organa, quibus mediantibus verbum Dei ad homines pervenit. Alii conceptus, verba vel signa, ab hominibus percipi vel intelligi non possent. Ideas Div. in se non videmus. Inde sub conceptibus et verbis hum. Deus loquitur eaque sic ordinat, ut acies mentis ad Veritatem primam eiusque intentiones percipiendas dirigatur. Sic etiam formulae dogmaticae.

[1] II—II. 172. 3. ad 3.
[2] II—II. 172. 4.

Instrumentalitas horum exprimitur dicendo, quod sint medium quo et ex quo non autem in quo. Medium in quo est Veritas prima in testificando, seu auctoritas Dei in fide, in prophetia vero lumen propheticum seu perceptio rei sec. immediatam imitationem rationum aeternarum. — Modificatio virtutis principalis alio quoque modo concipi et explicari potest, quatenus virtutem suam alligat ad quaedam instrumenta, per quae affertur ad certum locum, suppositum etc. et ad praesentiam illorum agit et suum effectum producit. Sic clamor Christi erat instrumentum resuscitationis Lazari, vel lutum pro illuminatione caeci nati.

20. Uterque modus est *influxus instrumentalis intentionalis.* Dispositiones praevie productae sunt formae intentionales, i. e. transeuntes, viales, non habentes propriam finalitatem. Ordinantur ad formam perfectam, quae virtute principalis agentis ad praesentiam ipsarum producitur. Sic cognitio motivorum credibilitatis non propter se quaeritur, nec ex evidentia circa ipsa mens perficitur, sed per illa tendit ad assensum fidei, qui iam non virtute illorum, sed per motivum formale credibilitatis producitur. Modificatio autem activitatis principalis agentis fit per virtutem intentionalem instrumenti. Tali enim modo construitur, ut serviat agenti principali, ita ut haec intentionalis aptitudo reluceat in tota eius constitutione : est solummodo ad hoc, quod agens principale ipso utatur ; est intentio, obiectiva repraesentatio fiendorum per agens principale. Hoc multo magis apparet, si virtus principalis sit alligata ad aliquod instrumentum, per quod afferatur ad effectum producendum.

21. Quamvis sec. hos duos modos multa in revelatione et de factis supernaturalibus explicari possint, *universaliter tamen non videntur esse sufficientes ad explicandam immediationem Dei in agendo, habito respectu ad actionem creaturae.* Producendo dispositiones videtur plus aequo agere, atque de facili adest suspicio, quod ex his naturaliter productis oriatur effectus supernaturalis, cuius esse supernaturale periclitatur quoad principia intrinseca (supernaturalitas quoad rem), et solum ex parte principii extrinseci (supernaturale quoad modum) remaneat. Sic praesertim in fide divina, quae a multis solum ut supernaturale quoad modum ponitur, supernaturalitas autem quoad rem omnino negatur. In tali cooperatione instrumentali sola modificatio virtutis principalis, non autem productio effectus ponitur. Non enim agit, sed ad eius praesentiam vel ad allationem eius intentionis operatur causa principalis. Inde non influit in esse effectus, sed magis in causam principalem movendo ipsam ad effectum producendum. Fatendum est hunc modum explicandi cooperationem instrumenti ingeniosum esse, atque per ipsum quamplura in ordine supernaturali explicari posse. Ad stabiliendum tamen influxum Div. et influxum creaturae melius est recurrere ad actionem instrumentalem *sub motione physica Dei* dirigente et per modum infallibilem producente effectus supernaturales.

Influxus intentionalis moralis praesertim a L. Billot S. J. propositus est.

22. *Instrumentum in sensu stricto* non tantum necessitatem subordinationis requirit, sed etiam in specificationem effectus influit. Instrumentum namque propriam habet operationem, eam tamen non exercet propria virtute, sed sub motione et influxu principalis agentis, a quo adhibetur, non ut propriam, independentem assequatur finalitatem, sed ut fini a causa principali intento serviat. Sic igitur propriam producit actionem, ut ista ad speciem actionis principalis agentis trahatur. Non subordinatur tantum, sed subalternatur. Aliis verbis : instrumentalis virtus perficitur et elevatur a causa principali ad hoc, quod cooperetur ad ipsum esse effectus producendum istudque virtutem et influxum utriusque agentis redoleat. Est aliquid in effectu, quod ad instrumentum reducendum est, quod tamen ita unitur formae per agens principale inductae, ut ab illa non distinguatur tamquam realitas independens ab alia realitate independente, sed ut pars a toto, ratio particularis a ratione totali : *eundem effectum producit causa principalis mediante instrumento, et instrumentum in virtute a principali agente participata.* Non sunt duae causae coordinatae et partiales, sed subordinatae et in suo ordine totales. Totus effectus est a principali agente, quia in eius virtute movetur et instrumentum, et ipsi assimilatur effectus, utpote organo suae propriae finalitatis. Totus effectus est ab instrumento, quo mediante forma et esse ipsius producitur. Sec. influxum ad totalitatem dicitur instrumentum subalternate agere, et species suae activitatis mutari, ad speciem finalitatis et actionis causae principalis trahi. Et hoc non extrinsece, sicut contingit in cooperatione causarum particularium coordinatarum (duo equi trahentes currum), sed intrinsece, ex elevatione suae virtutis agendi per causam principalem, cum qua sec. unionem duarum virium in unitatem coadunatarum, ad effectum producendum ordinatarum, per modum causae totalis subordinatae et subalternatae concurrit et cooperatur. Haec cooperatio in se spectata potest esse dispositiva vel modificativa, ut supra descriptum est, dummodo utraque sub influxu agentis principalis fiat et effectus respectivos instrumentum non virtute propria et per modum causae independentis producat. Inde influxus agentis principalis generaliter *usum virium instrumentalium* significat, tum sec. subordinationem tum sec. subalternationem. Sec. hanc considerationem loquimur de instrumento in sensu stricto, dum priores considerationes ad instrumentum in sensu lato referantur. Essentiale pro instrumentalitate in sensu stricto est unitas virtutis agendi, quae ex praedominatione virium principalis causae desumitur atque secundum finalitatem *unum* producit effectum. Quidquid in tali productione contingat, ad agens principale tamquam ad causam independentem, sui iuris et unice responsabilem reducendum est. Omnia quae cooperantur in tali productione, ut causae dependentes et ad usum vires suas mutuantes, agunt absque

propria finalitate et responsabilitate. Inde effectus sec. se totus assimilatur principali agenti etiam sec. illas rationes, quae ad instrumenta reducendae sunt, quia virtutem instrumenti ad hoc sibi assumit causa principalis, ut suam similitudinem intentam ipso mediante inducat. Si agens principale habeat virtutem tam fortem, ut perfecte uti possit instrumentis, defectusque eorum vincere valeat, tunc effectus erit perfectus, secus imperfectus. Pro agente principali debili, sufficientibus viribus non instructo, etiam instrumenta perfectissima inutilia sunt vel effectus valde imperfecti per ipsa producuntur. Sic qui non cognoscit artem pingendi, nec per instrumenta perfecta potest imagines pulchras producere. Instrumenta namque animantur i. e. fiunt productiva per virtutem principalem eiusque similitudinem producunt. Si vero virtus principalis sit infinita, ut in Deo, tunc potest agere sec. generalem accomodationem ad instrumenta, vel potest auferre defectus eorum, imo et modum agendi divinum communicare, ut fit in operibus supernaturalibus, praesertim in gratia.

23. *Influxus instrumentalis ad assumptionem pertinet.* Agens principale sive ex propria electione sive ex naturali determinatione ad suum esse suppositale assumit instrumentum eoque utitur ad propriam activitatem exercendam, sive ex necessitate (ut agentia creata) sive ex abundantia bonitatis, ut Deus qui suos effectus absque interventu virtutis creatae producere potest.[1] Operari sequitur esse et operationes sunt suppositorum. Si igitur aliquod agens est imperfectum, quia non est suum esse et virtus ipsius operandi non est sua actio, tunc indiget organis seu instrumentis, quibus mediantibus (sive per modum potentiae, sive per modum principiorum determinantium) operatur. Et si ista non dentur ei a natura, tunc per propriam electionem ea assumere debet ad defectus sui esse et operationis explendos. In hoc sensu loquimur *de instrumentis coniunctis*, quae ex aliqua ordinatione naturali uniuntur cum supposito, ut sunt facultates et organa hominis, et *de instrumentis separatis*, quae nullam habent coniunctionem naturalem cum supposito et antonomastice (in sensu stricto) instrumenta vocantur. Assumptio illorum ad esse personale est sec. unionem accidentalem, dum instrumenta coniuncta substantialiter uniuntur personae, sumpta substantialitate non in ordine naturae, sed sec. completionem substantialitatis (sec. substantialitatem completam) sec. perseitatem. Unum enim est principium subsistens sc. suppositum, in quo omnia, quae naturaliter illi coniunguntur, sec. perseitatem essendi substantialiter-suppositaliter unum sunt, licet possint esse plura et accidentaliter unita sec. rationem naturae, inquantum considerantur per modum principiorum quibus. — Actiones porro sunt suppositorum, iterum non per modum principii quo agendi, sed ut est principium quod, in cuius esse et motione ita

[1] II—II. 173. 3.

uniuntur, ut illi attribuantur, sec. responsabilitatem ipsius fiant, ad ipsum tamquam primum movens reducantur. Executio actionis fit per potentias, per organa, instrumenta, veluti per principia, quibus suppositum utitur ad proprium bonum et finem. Pro instrumentalitate in sensu stricto suppositum consideratur non ut purum agens quod, sed ut per vires sibi proprias movens instrumentum, illud assumens per modum principii quo quoad suam operationem exequendam, illudque elevans vel perficiens sec. exigentias finalitatis eiusdem operis. Influxus igitur movens causae principalis duplicem aspectum in instrumento habet: a) *est motio simplex*, qua sibi subordinat instrumentum, illudque reducit de potentia in actum, b) *elevat illud* ad cooperandum supra suas vires proportionatas in effectum proprium principalis agentis. Motio haec est in instrumento non per modum formae permanentis sed per modum transeuntis, vialis, quae, cessante influxu principalis, cessat.

24. *Instrumenta sunt diversi ordinis.* Sunt, quae solum sunt mota. Ista nullo modo possunt considerari tamquam causae principales secundariae. His simpliciter utitur agens principale. Sunt moventia mota. Alia autem etiam sese movent, et causa principalis ita illis utitur, ut motum illorum proprium sibi subordinet atque elevet ad infallibilem executionem et assecutionem sui finis. Ita sub motione ipsius diriguntur, viresque ipsorum ita ordinantur, ut finis causae principalis infallibiliter obtineatur (si haec dominari potest supra ipsa, ut Deus), vel modo fallibili agant, si illa sit debilis.

25. *Sec. hunc modum de facili explicari potest immediata locutio Dei revelantis per diversa organa.* Organa revelationis sunt homines a Deo electi et assumpti ad finem revelationis assequendum, qui est communicatio veritatum ad salutem hominum ordinatarum. His organis Deus ita utitur, ut modo infallibili proponantur ea, quae Deus communicare vult, et eo modo, quo vult. Ad hunc finem assequendum necessarium est, quod Deus sit auctor principalis communicatorum, organa vero agant per modum instrumenti. Ideo influxus Div. talis esse debet, ut respondeat principiis supra expositis. Hic influxus non est naturalis, quia ordinatur ad talia obiecta cognoscenda, quae in virtute medii naturalis vel non continentur, vel modo infallibili cognosci et aliis communicari non possunt. Influxus Dei utique non potest distingui in naturalem et supernaturalem, si active sumatur, bene tamen si passive, ut receptus in organis, spectetur. *Motio Dei sic passive sumpta est naturalis*, si fiat sec. exigentias proportionatas organorum; si autem est supra illas, supernaturalis est. Motio porro Dei permeare debet omnes vires organorum, easque ita roboborari perfici atque elevari oportet, ut omnis defectibilitas, error vel haesitatio amoveatur. Iudicium infallibile circa ea, quae per revelationem communicantur, necessario requiritur et sic solum assequi potest, si Deus est auctor principalis dictorum, sententiarum vel factorum, organa vero agant in virtute Dei. Influxus igitur Dei

dominari debet supra omnes potentias organorum, quae in percipienda vel tradenda veritate revelatorum quocumque modo cooperantur. Omnes istae vires sic elevari debent, quod non agant sec. propriam finalitatem vel sec. motum proprium defectibilem, sed modo indefectibili dirigantur ad finem Dei revelantis. Sub hoc respectu Deus immediate loquitur per omnia organa revelationis. Hoc singillatim exponemus.

III. De subordinatione organorum revelationis ad Deum.

26. *Immediata locutio Dei sec. immediationem suppositi et virtutis in sola visione beata est possibilis.* Omnis alia locutio est mediata mediatione suppositi (i. e. fit per aliquam creaturam positam inter Deum et illum, ad quem loquitur), est tamen immediata immediatione virtutis. Hoc significat, coniunctionem mentis illius, cui revelatio fit, cum veritate non fieri in aliqua virtute creata, sed in sola virtute Dei, cui omnes vires creatae non tantum subordinantur, sed ad finem revelationis assequendum subalternantur. Haec subalternatio fit per elevationem, qua singulae vires participant modo sibi conveniente de influxu Dei ad hoc, quod supra proprias nativas proportiones confluere possint ad percipiendam vel communicandam veritatem revelatorum. Ideo influxus Dei *ante omnia removet indispositiones naturales vel morales*, si quae sint, a Prophetis, quibus revelatio fit.[1] Haec purgatio animi fit sec. dispositionem providentiae Div. et sec. dignitatem (sanctitatem obiectivam) organi. Maxima est in Christo, a quo omnes defectus ratione assumptionis naturae hum. amoti sunt, ita ut plenus gratiae et veritatis appareat. Ideo erat Propheta per essentiam, seu sec. propriam auctoritatem loquens, cui tamquam primo et universali principio redemptionis hum. communicata fuit cognitio plena divinorum. Purgatio animae Christi non resultabat ex aliquo processu, sed erat plena et perfecta in instanti assumptionis. Natura hum. Christi cum omnibus suis facultatibus est instrumentum coniunctum Divinitatis et erat elevata in assumptione per scientiam beatam et infusam, sicut et per plenitudinem gratiae habitualis. Cum igitur haec omnia habuerit ex participatione a Patre per modum gratiae gratum facientis et per modum gratiae gratificantis pro universo genere hum., erat Propheta per essentiam. Omnes alii Prophetae erant per participationem et dicebantur tales per ordinem ad Christum, quem annuntiare, vel esse et modum eius agendi aliquo modo imitari debuerunt. Ideo non habuerunt donum prophetiae per modum formae permanentis, sed per modum transeuntis et vialis, nec auctoritate propria locuti sunt, sed auctoritate Christi venturi vel iam advenientis. Purgabantur sec. dispositionem providentiae Div. per raptum (ut Moyses et S. Paulus), vel ut Isaias et Jeremias: Isaias

[1] II—II. 172. 3. ad 3; ib. 4.

mundabatur per carbonem ardentem per Seraphim ori suo impositum.[1] Jeremias autem in utero matris suae.[2] Ceteri autem prophetae purgabantur in actuali prophetia, in communicatione revelatorum.

b) Haec communicatio in omnibus Prophetis per participationem importat aliquam motionem physicam ex parte Dei, qua applicantur per modum instrumenti et in hac applicatione permanent, quousque fini a Deo intento servire debent. Per hanc applicationem aufertur ab iis motus proprius proportioni naturali correspondens : *agunt in virtute Dei, non autem in virtute propria.* — Alter aspectus influxus Div. est communicatio obiectorum, quae diversis modis et in diversis gradibus contingit, ut in tractatu de prophetia exponitur.[3] Ex hoc fit, quod Prophetae in aliud obiectum intendere non possunt et de acceptis non iudicant lumine naturali, sed sub lumine supernaturali, in speculo aeternitatis.[4] Sic cognitio prophetica totaliter subordinatur Deo atque ab eius infallibili cognitione firmitatem et certitudinem participat.

c) Deus in revelatione immediata loquitur ad Prophetas per conceptus et signa (verba, enuntiationes) naturalia. Haec omnia sec. propriam virtutem veritates supernaturales repraesentare nequeunt. Sec. tamen specialem ordinationem sapientiae Div. aciem mentis ad aliquod obiectum supernaturale dirigere valent. Sub hoc respectu *sunt instrumenta revelationis et considerari possunt per modum canalis*, per quem ad homines fluit verbum Dei. Similiter possunt dici *instrumenta modificantia* influxum Dei obiectivum, quatenus Veritas prima lucidissima menti creatae inaccessibilis, per talia media transeundo redditur proportionata, ut modo connaturali in illam influere possit. Isti duo modi instrumentalitatis deducuntur ex applicatione elevativa, quatenus esse obiectivum supernaturale in iis, tamquam in medio in quo manifestatur.[5] Hoc fit in prophetia, in qua ex tali usu instrumentali immediata conformitas cum rationibus aeternis apparet, in fide autem hoc mediate resplendet in auctoritate sc. Dei testificantis. Non igitur virtute propria conceptus vel enuntiationes naturae proportionatae ad assensum, ad iudicium

[1] Is. 6. 6.

[2] Jer. 1. 5.

[3] II—II. 173.

[4] Nomine «speculi aeternitatis» nihil aliud intelligimus, quam immediatam mensurationem cognitionis propheticae per rationes aeternas. In speculo temporis videmus mediante abstractione, in quidditate sensibili contemplantes rationes aeternas, quae sunt mensurae cuiuscumque cognitionis creatae. (In hoc sensu possent dici speculum.) Immediate mensurant cognitionem Angelicam et Propheticam, mediantibus rebus sensibilibus cognitionem hum. naturalem, mediante tandem auctoritate Dei fidem Div. Quid S. Thomas hac de re senserit, v. 12. Ver. 6.

[5] In virtute propria non possunt considerari ut medium in quo, sed tantum ut quo et ex quo. Instrumentaliter tamen etiam rationem medii in quo participant.

infallibile perducunt, sed ex participatione luminis Div. instrumentaliter eis communicato. Inde nec in prophetia, nec in inspiratione, nec in fide aliter quam in Veritate prima revelationem acceptamus illique firmiter adhaeremus.

d) Inspiratio stricte prophetica maiorem ad Deum subordinationem prae se fert, quam *inspiratio hagiographica.*[1] In utraque invenitur applicatio instrumentalis cum finalitate supernaturali. Elevatio facultatum pariter necessaria est in utraque. Differunt, quod in prophetia stricte sumpta etiam acceptio obiecti materialis est a Deo, in inspiratione autem biblica solum iudicium infallibile communicatur. Materia potest haberi sive ex revelatione, sive ex propria inquisitione de rebus revelatis vel historicis, vel ex enarratione aliorum. Haec omnia ordinat et describit auctor sub motione Div. physica, intrinsece applicante et dirigente facultates cognoscitivas et executivas, ut auctor hum. ea tantum conscribat, quae Deus vult atque eo modo sicuti Deus vult. Est igitur *instrumentum separatum* agens sub influxu Div. atque sub ipso ita exercens propriam activitatem, etiam sese movendo, ut a finalitate Div. Dei deviari non possit. Inspiratio igitur hagiographica est influxus Dei plenum dominium et praeeminentiam habens supra activitatem hagiographi, ut Deus sit auctor principalis libri, ille vero causa quidem principalis secundaria, dependens a Deo in agendo non tantum quoad fieri, sed etiam quoad esse actionis et effectus. Cessante namque inspiratione cessat et actio hagiographica. Potest quidem materialiter continuari, quatenus auctor humanus de eadem re ulterius scribit, sed actio non erit formaliter eadem. Ponitur namque modo fallibili et erroribus obnoxio. Item effectus (sc. liber) caret auctoritate, utpote non animatus per virtutem Dei obiectivam et veritatem divinam redolentem. In hac obiectiva sanctitate differt S. Scriptura a libris profanis et sic a Deo conservatur in tali dignitate non tantum quoad fieri sed quoad esse. Abstrahe ab inspiratione, sensus libri mutatur, quia nulla in ipso apparet dependentia ab aliqua superiore finalitate. In hoc sensu asserimus effectum inspirationis quoad esse dependere a Deo, ab influxu Dei. Sub hoc respectu S. Scriptura est revera *αὐτοπίστον* i. e. in seipsa habet rationem suae credibilitatis. Quod tamen in praesenti ordine providentiae Div. legenti nec immediate nec mediate manifestatur, sed est obiectum fidei, ideoque credibilitas ipsius, sicut et origo Div. eodem modo proponitur in doctrina Ecclesiae, sicut et ceterae veritates credendae. Sic mens fidelis a Spiritu Sancto edocta invenit animam S. Scripturae illamque distinguit a libris profanis, legendo ipsam in lumine donorum S. Spiritus.

e) Dependentia a Deo minor est in *assistentia*, quam in inspiratione. Assistentiam ponimus in infallibilitate Ecclesiae explicanda

[1] Idem dicendum est de inspiratione kerygmatica, de qua p. 100. n. 35. locuti sumus.

praesertim pro infallibilitate activa. Convenit cum inspiratione in ultimo iudicio, quod in utraque, sub influxu Dei infallibiliter pronuntiatur, conformitatemque cum rationibus aeternis prae se fert. Sed hoc in inspiratione per influxum interiorem, omnes facultates elevantem et ad finem revelationis dirigentem exequitur. In assistentia vero hoc non ponitur. Organa quibus assistentia a Christo promissa fuit, agunt sec. proportiones connaturales fidei et scientiae hum. per modum causarum principalium sub motione Dei communi. Influxus Dei ex eo evadit specialis, quod removet impedimenta inquisitionem vel conservationem veritatum revelatarum prohibentia et illuminat mentem organorum in iudicio ferendo ; adest toti processui praeservando, illumque complet et ad perfectionem adducit in finali iudicio.[1] *Assistentia* igitur est influxus Dei supernaturalis praeservans organa magisterii Ecclesiae ab errore, eaque positive inclinans ad iudicium infallibile proferendum circa veritates fidei et morum.

f) In fide quoque invenimus immediatum influxum Dei. Obiectum eius formatur a Deo in revelatione immediata, modo infallibili describitur in inspiratione et sic proponitur per assistentiam Spiritus S. in doctrina Ecclesiae. *Inde veritates fidei obiective non movent ad formalem assensum, nisi in lumine Div.* quod immediate immediatione virtutis movet, etsi mediatione suppositi organa quoque cooperentur. Sed haec cooperatio est materialis tantum, eiusque ratio desumitur de exigentiis naturae hum., quae absque illis doctrinam divinam modo proportionato suscipere et percipere non valet. In actu fidei subiectivo etiam invenitur influxus Dei immediatus. Non enim fieri potest, nisi per virtutem infusam fidei, per quam Deus aures fidelium intentas facit ad audiendum verbum Dei oculosque mentis aperit ad percipiendam veritatem supernaturalem. Accedit insuper, quod credere non possimus, nisi Dei adiuvante et inspirante gratia.[2] Ideo dicere possumus, quod in actu fidei eliciendo Deus ad cor loquatur ut magister interius docens et illuminans, signa vero per organa revelationis proposita materialiter tantum et instrumentaliter influunt in ipsum.

g) In eventibus miraculosis pariter ponendus est influxus Dei immediatus. Superant enim capacitatem naturae, nec continentur in rationibus seminalibus naturae. Ideo a Deo producuntur sec. immediationem, et si ista a Deo assumantur, solum per modum subiecti (potentiae obedientialis) vel per modum puri instrumenti se habent in manu Dei omnipotentis et gloriosi. Miracula, ut sunt motivum materiale credibilitatis, naturalis et scientificae cognitionis sunt obiecta. Prout tamen assumuntur in motivum formale, instrumentaliter se habent, sicut cetera motiva credibilitatis.

[1] Cf. Hitv. 35[2].
[2] Denz. 1789.

IV. De ordinatione organorum revelationis inter se.

a) *Obiective.*

27. «Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, novissime autem his diebus locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum.»[1] Omnes igitur prophetae Christum anuntiarunt, qui est obiectum principale revelationis. *Obiective igitur Christus est primarium organum revelationis*, ita ut respectus ad Ipsum in nullo obiecto revelato deficere possit. Sub Ipso igitur ordinanda sunt omnia, quae locutionem Dei salutarem respiciunt. Sic sec. maiorem vel minorem claritatem annuntiationis adventus Christi ordinanda sunt revelata et determinanda dignitas organorum.

Primum locum tenet Protoevangelium, quod nihil aliud est quam enuntiatio primorum credibilium a S. Paulo designatorum. «Accedentem ad Deum oportet credere quia est, et quod inquirentibus se remunerator sit.»[2] Virtus huius revelationis plus minusve clare et quandoque in potentia tantum invenitur in omni religione naturali; in revelatione autem divina successive enucleatur. «Semper fuerunt eadem speranda apud homines a Christo. Quia tamen ad haec speranda homines non pervenerunt nisi per Christum, quanto a Christo fuerunt remotiores sec. tempus, tanto a consecutione speiandorum longinquiores erant ... Quanto autem aliquid a longinquioribus videtur, tanto minus distincte videtur et ideo bona speranda distinctius cognoverunt, qui fuerunt adventui Christi vicini.»[3] «Fides autem est substantia sperandarum rerum.»[4] Ideo et obiecta fidei sec. principium a S. Thoma positum proponebantur. Sic ordinamus obiecta fidei sec. prophetias Messianicas. Organa igitur revelationis inter se ordinantur sec. claritatem annuntiationis adventus Christi, in quo salus omnibus apparuit. Sec. ordinem generationis: Patriarchae, Prophetae usque ad Joannem Bapt, et Apostoli. Sec ordinem perfectionis inverso modo loquendum est. Ecclesia ut custos revelationis virtutem omnium continet, quia annuntiat ea quae ab ipsis prolata sunt. Respectu tamen illorum est organum secundarium, quia non accipit revelationem, sed illam iam factam custodit et propagat.

b) *Sec. auctoritatem.*

28. *Solus Christus propria auctoritate docuit homines, quia cognitionem divinorum per modum formae permanentis et ut principium universale gratificationis in genere hum. habuit.* Omnes alii nomine et auctoritate Ipsius loquuntur, ut hoc iam Moyses enuntiavit: Prophetam de gente tua et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies.[5] Apostoli autem mandatum annuntiandi Evangelii a Christo

[1] Hebr. I. 1. [2] Hebr. II. 6. [3] II—II. 1. 7.
[4] Hebr. II. 1. [5] Deut. 18. 15.

acceperunt, sicut et Ecclesia a Christo habet potestatem custodiendi Evangelium illudque ad omnes gentes propagandi. Inde omnia organa revelationis auctoritati Christi subordinantur et nomine Ipsius ligant homines. Cum sec. haec omnis auctoritas proponendi revelationem ad auctoritatem Christi reducatur, ab Ipso participetur, possunt esse motivum formale movens ad assensum fidei. Sola auctoritas Christi assumi potest in motivum formale fidei et quidem ut est Deus simpliciter; ut autem est homo, participative, cum sit organum coniunctum Dei revelantis.

29. Organa separatim defendi et iustificari debent quoad missionem divinam et auctoritatem atque authenticitatem. Sic etiam hagiographi et libri ab ipsis conscripti. Si autem missio divina Christi probetur simul et organa separata iustificantur, quia ipsi de Christo locuti sunt et Christus saepius ad illa (ad Prophetas) provocat. Sic miracula Christi iustificant Ipsum, ut legatum Dei, ex quo et Prophetae de Ipso loquentes et Ipsum praeannuntiantes per miracula Christi, ut veri Prophetae iustificantur.

I. *Conspectus modorum dependentiae effectus a causa.*

DEPENDENTIA effectus a causa in esse reali

- *obiectivo* constituendo obiectum circa quod actio (influxus) aliarum causarum versatur
  - sec. rationem veri practici; factibilis: a causa exemplari
  - sec. rationem boni, appetibilis ordinati; operabilis: ex causa finali
- *physico*, prout esse obiective determinatum ponitur in ordine essendi sec. se (in exemplato, in finalizato = in re passive sec. finem ordinata); coaptatio effectus in seipso; in esse obiectivo eiusdem
  - in esse formali in se spectato; constituendo, praebendo esse sec. principia intrinseca essendi
    - per modum subiecti; ministrando potentiam, materiam ad esse constituendum necessariam: a causa materiali
    - actum ad esse constituendum necessarium: a causa formali
  - producendo, inducendo esse; dependentia in esse virtuali, ut in alio spectato, a causa efficiente
    - inducente formas (actus) intentionales, viales, ordinatas ad formam ulteriorem: a causa efficiente disponente
    - inducente formas (actus) permanentes, perfectas: a causa efficiente perficiente

NB! Causa efficiens producit principia constitutiva effectus sec. commensurationem ad esse obiectivum.

II. *Divisio Causae ex modo. quo respicit esse effectus* (sec. perfectionem).

- CAUSA
  - *disponens*: respicit effectus intentionales, viales, ad alios ordinatos
    - in ordine causarum intrinsecarum
      - *in ordine causae materialis:* dispositiones remotae reddentes materiam aptam, ut possit esse subiectum formae, ut forma educi vel induci in eam possit; tempore antecedunt formam
      - *in ordine causae formalis:* dispositiones proximae; in ordine generationis sunt priores, quam forma et causae eius: in ordine perfectionis forma est illis prior atque causa earum
    - in ordine causarum extrinsecarum
      - in esse obiectivo
        - sec. rationem veri (in ordine causae exemplaris): excogitatio inquisitio, meditatio
        - sec. rationem boni (in ordine causae finalis): intentio, consilium, electio
      - in esse physico: in ordine causae efficientis: causae producentes intentiones, adiuvantes, uno verbo ea respicientes, quae in esse obiectivo vel in ordine principiorum constitutivorum effectus per modum dispositionis se habent
  - *perficiens*: respicit effectum sec. suum esse completum, perfectum, permanens
    - in ordine causarum intrinsecarum
      - materialis: dispositiones proximae
      - formalis: ipsa forma sec. se
    - in ordine causarum extrinsecarum
      - in esse obiectivo
        - sec. rationem veri: idea, exemplar
        - sec. rationem boni: ultimum iudicium practicum
      - in esse physico
        - causa principalis utens causis sibi subordinatis (operantibus dispositive)
        - causa principalis applicans et elevans causas in virtute ipsius agentes

III. *Conspectus diversorum modorum, quibus causa sibi subiicit alia agentia.*

- CAUSA ut subiciens sibi alias causas
  - utendo virtute alterius
    - movendo ad suum effectum sec. cooperationem alterius ad effectum
      - solum sec. eductionem de potentia in actum; solum sec. subordinationem
      - congregans et subiiciens virtutes alterius in suum servitium
        - virtute principali alterius; parentes generantes dant corpus ex limo terrae; Deus inspirat spiraculum vitae
        - materaliter: medium cumulationis; canalis; accumulator
        - formaliter: ipsas virtutes: dux militum virtutes ad victoriam.
  - Communicando virtutem aliquam
    - ad particulares effectus producendos
      - sec. solam dispositionem, modificationem virtutis principalis: ligando ad aliquid suam virtutem et afferendo per aliud, ut medium, illam ad effectum producendum
      - ad effectum disponentem ad effectum ulteriorem vel ultimum: communicans virtutem in qua effectus (applicantis) continetur
        - remote (sec. dispositiones remotas)
        - proxime
    - ad totum effectum producendum, per modum causae perficientis
      - principalis
      - instrumentalis
        - ex indigentia (creatura)
        - ex superabundantia (Deus)

IV. *Conspectus divisionis generalis causae instrumentalis.*

- CAUSA INSTRUMENTALIS
  - *in sensu lato:* est principalis in suo ordine, habet tamen quandam instrumentalitatem inquantum alteri causae subordinatur, vel ex eo quod
    - *a)* respicit formas (actus) intentionales, viales
    - *b)* inducit dispositiones pro ulteriori productione necessarias
    - *c)* est conditio pro ulteriori causalitate
    - *d)* adiuvat aliam causam in sua activitate
  - *proprie:* quod agit in virtute causae principalis
    - *dispositive:* modificando virtutem causae principalis (roborando, temperando, minuendo) ad hoc, quod effectum suum producere, tangere valeat: machina, canalis. Influit in virtutem principalis agentis immediate, in effectum vero sec. se nonnisi per modum disponentis: effectum sec. se non continet, sed solum modificationem virtutis principalis. Ideo effectus ad ipsam non reducitur, sed solum ad principalem
    - *perficiendo:* influendo in ipsum effectum, in eius esse producendum; continet effectum, effectus ipse ad tale instrumentum reducitur, est causa ipsius, licet non propria virtute et sec. proprias proportiones sed ex applicatione et elevatione principalis agentis (per agens principale)

V. *Conspectus instrumenti, in omni genere causalitatis,*[1] *ex cooperatione cum aliquo principali ad producendum aliquem effectum, in quo virtus utriusque agentis repraesentatur.*



[1] Motio causae efficientis est ordinis physici et refertur ad exercitium actus. Causa exemplaris et finalis movent obiective, et influunt in specificationem actus. Ex fine desumitur ordinatio mediorum eorumque valor ac aestimatio moralis vel artificialis. Principium (subiectum scientiae) movet cognoscibilia tum sec. specificationem superadditam veritati ontologicae, tum sec. ordinationem systematicam singulorum obiectorum, breviter sec. obiectivationem et sec. specialem cognoscibilitatem. Cf. p. 34. et 124. squ. Pro causa formali dispositiones materiae possunt considerari ut instrumenta, veluti intentiones ab agente productae, et ad formam permanentem tendentes. In hoc sensu forma prior est dispositionibus, non in ordine generationis, sed sec. prioritatem causalitatis et perfectionis. De distinctione horum ordinum cf. Hitv. p. 24[1]. et Heilig. 207.

TRACTATUS SECUNDUS.

De existentia revelationis.

30. Ad praeambula Horisticae generalis pertinet ostensio existentiae revelationis, provocando ad diversa organa, in quibus locutio Dei inveniri potest. Quinam sint fontes, ex quibus verbum Dei hauritur? In hoc praecipue tractatu apparet, quod et quot scientiis auxiliaribus Apologetica indigeat ad hoc, ut finem suum assequi possit. *Examen omnium fontium, ex quibus revelatio quocumque modo hauriri potest, est revera fundamentum totius inquisitionis horisticae*, a quo unicum fulcimentum scientificum pro acceptanda existentia revelationis expectari potest. Ut hocce negotium perfecte compleri possit, inquisitio extendi debet ad omnia phaenomena religiosa, quae decursu temporum apparebant, et mediis historicis probari possunt. Ideo *critica fontium* est principale obiectum huius tractatus, conclusiones autem ex his fontibus iustificatis deductae vel cum ipsis connexae, sunt obiecta primaria vel secundaria sec. diversum earum valorem.

31. Fontes autem, ex quibus revelatio hauritur, vel qui de ipsa quocumque modo testantur, sunt monumenta omnium religionum. Ideo hanc criticam de istis monumentis Historia religionum perficere debet. In hoc processu agitur de *sola acceptabilitate fontium*. Investigando eorum authenticitatem, prout hoc in omnibus ad historiam pertinentibus fieri solet, efformatur iudicium : *iis uti posse pro diiudicando valore singularum religionum*. Ut hoc negotium tuto perfici possit, requiritur sola indifferentia benevola, qua scientia historica ornari debet. Si alius ipsi finis commisceatur, vitium de facili irruit, et inducit ad negligenda ea, quae fini adnexo adversantur, vel ad extollenda ea, quae ipsi arridٍent. Iudicium de valore assertionum in fontibus inventarum reservatur Psychologiae et Philiosophiae religionis, quarum conclusiones in Historia comparata religionum proponuntur et in Apologetica finaliter diiudicantur.

32. Istas scientias cum indifferentia benevola colere valde difficile est, cum a principiis diversorum systematum philosophicorum dependeant. *Apologeticae tandem est iudicium finale ferre de his conclusionibus et valorem singularum religionum determinare*. Ut huic officio satisfacere possit, debet indifferentiam benevolam in summo gradu observare. Sic

potest determinare, quid ex his conclusionibus pro iustificatione subiecti assumi possit. Ea quae illi adversari videntur, per solutionem argumentorum auferenda sunt, et si hoc fieri non posset, debet renuntiare defensioni subiecti Theologiae. Quod quidem hucusque non contigit, nec in posterum eveniet, quia diversae religiones iuste examinatae, miro modo serviunt fini Apologeticae.

33. Inter fontes revelationis pro Apologetica principalitatem habent *libri Antiqui et Novi Testamenti.* Examen ipsorum quoad authenticitatem est summi momenti. Hoc opus perficitur in scientia quae Introductio in S. Scripturam audit. Absque hac investigatione inutilis, imo impossibilis est qualiscumque inquisitio de existentia revelationis. Deberemus namque remanere in assertione Modernismi, totam religionem omnemque revelationem reducentis ad instinctum religiosum, ex sua immanentia active producentem ea, quae homini necessaria sunt ad hoc, ut exigentiae ipsius religiosae expleantur.

34. *Inquisitio de fontibus revelationis sese extendit ad iustificationem organorum inanimatorum (libri) et animatorum.* Personae a quibus doctrinae propositae oriuntur (Prophetae) examinandae sunt tum quoad qualitates personales et doctrinales, tum quoad missionem divinam. Ideo ad singulas applicanda sunt criteria ex motivis credibilitatis desumpta. Ex his formatur iudicium: acceptandae vel reiiciendae sunt. Idem dicendum est de fontibus inanimatis, qui ad metam critices historicae diiudicandi sunt. Ex his apparet scientiam criticam S. Scripturae subordinari, imo et subalternari Apologeticae. Apologetica acceptat conclusiones benevolas huius scientiae, adversas autem, ostendendo vitium irrepsisse in processu synthetico, solvendo argumenta reiicit.

35. *Revelatio non eodem modo invenitur in omnibus formis religionum.* Principium fundamentale, an assertio quaedam ad Deum sit reducenda necne, desumitur ex iure naturali, quo homo nexu insolubili dependentiae ligatur ad Deum, Illumque quaerere, Ipsique servire debet sec. directionem rationis rectae. *Ubi haec directio deficit Deo indigna et supremae Majestati incompatibilia asseruntur, ibi verbum Dei non invenitur, sed solae deviationes mentis hum. proponuntur.* In his religionibus nec vestigium revelationis invenitur, nisi sec. privationem. Sunt tamen aliae religiones *vestigia revelationis* manifestantes, et aliquae, quae formas intentionales religionis perfectae repraesentant. Quomodo formae intentionales religionum intelligendae sint, exponetur in tractatu de Ecclesia. De his phaenomenis iudicium completum in Historia comparata religionum expectatur. Elementa namque communia in omni religione inveniuntur. Horum quaedam de facili explicantur ex instinctu religioso, ut est agnitio Numinis supremi, cultus Dei, conscientia peccati. Haec igitur proveniunt ex revelatione naturali, per principia naturae in communi determinata. Sunt tamen alia, quae non sunt sic explicabilia, quia referuntur ad quaedam accidentalia. Sic persuasio de aliquo statu

beato hominis (de paradiso), de lapsu, de promissione alicuius redemptoris etc. Haec plus minusve clare aut obscure asseruntur in diversissimis religionibus, etiam primitivis. Effectus universalis postulat causam universalem. Inde merito concluditur in genere humano conservatam esse aliquam traditionem, quae ad primitivam Dei revelationem perducenda est. *Ex his sumit Apologetica argumentum pro probatione subiecti Theologiae, quod scil. confuse iam invenitur in omni religione.* Fundamentum firmius invenitur in religione Patriarchali et Mosaica. Hae formae intentionales revelationis in Apologetica proponuntur ad hoc, quod conformitas ipsarum cum iure naturali pateat, alia vero ex parte ostendatur, quomodo in ipsis via ad formam perfectam demonstretur ac praeparetur.

36. Christianismum esse formam perfectissimam religionis, permulti infideles libenter admittunt. An ex revelatione oriatur, specialiter ostendendum est in Apologetica. Haec probatio ex iustificatione auctoris eius desumenda est et praesupponit ostensionem authenticitatis fontium revelationis, quibus unice ut documentis historicis utimur, quousque pervenimus ad iudicium : *ex analysi scientifica fontium apparet, Iesum Christum ut legatum Dei acceptari posse,* ideoque subiectum Theologiae, quod ex doctrina Ipsius desumitur, esse principium complectens totam doctrinam christianam.

37. Ante omnia probanda est existentia Christi. *Existentiam idealem* ostendimus ex libris Antiqui Testamenti. Anima ipsorum est Messias, futurus Liberator et Redemptor generis humani. Hoc apparet in Protoevangelio, in promissionibus ad Patriarchas (Abraham, Iacob) factis, in tota lege Mosaica, praesertim autem in prophetiis Messianicis. Haec singillatim exponit et defendit exegesis S. Scripturae, Apologetica autem utitur eius conclusionibus ad ostendendam praeexistentiam Christi in synthesi Antiqui Testamenti.

38. *Existentiam realem Christi* in tempore determinato negat theoria desperationis (A. Drews), communiter tamen admittitur. Ex fontibus profanis pauci possunt allegari: Flavius Iosephus, Tacitus, Plinius et Suetonius. Probata authenticitate librorum Novi Testamenti, omne dubium hac in re aufertur, existentiaque realis Christi a scriptoribus ecclesiasticis primorum saeculorum, sicut et a toto Christianismo communiter asseritur.

39. Maiores oriuntur difficulates, si *de valore personali Christi* agatur. Utendo Evangeliis tamquam fontibus historicis, stabilimus, quid Christus de seipso asseruerit. Revera mirabilia, imo et captum hominis omnino superantia. Se esse Messiam, etiam alii illo in tempore dicebant, esse se tamen Filium Dei, cum Patre coaequalem, nemo affirmare ausus est. Ideo debuit mori.

40. *Veritatem harum assertionum per applicationem motivorum credibilitatis probamus* eodem modo, sicut et veritatem doctrinae eius

in sequentibus tractatibus. His non obstantibus, persona Christi diversimode diiudicatur tum a coetaneis, tum a posterioribus. Quid de his sententiis tenendum sit? En defensio personae Christi contra calumniatores, de quorum assertionibus datur schema de Persona Christi.[1] Contra hos defendimus personam Christi, solvendo eorum argumenta. Haec pars Apologeticae est *praecipue defensio subiecti Theologiae ex parte Auctoris, seu causae efficientis*, cuius dignitas opponitur contrarie sentientibus. Demonstratur Christum sufficienti scientia et omni aptitudine ornatum extitisse, qui posset auctoritative docere, et qui a Deo ut legatus Ipsius comprobatus fuit.

41. Systemata negantia originem supernaturalem et divinam Christianismi sub *nomine Naturalismi* colliguntur sec, quem mensura omnis esse et veritatis est a seminibus naturae desumenda. In specie et in materia religionis ut norma assumitur : *a)* natura inferior (sensitiva vel sensualis) ; ideo utuntur dictis ad commovendam infimam plebem aptis ; *b)* altiores exigentiae scientiarum et affectuum (aspirationes religiosae) ; tandem *c)* purae leges naturales, quae simpliciter necessariae ponuntur.

42. Ex doctrina Christi iustificatur eius persona, exponendo illam per summa capita, ostendendo harmoniam ipsius cum ratione naturali etc. prout ex sequenti tractatu patebit.

43. Valor personalis Christi, sicut et missio eius divina apparet *ex opere ab Ipso instituto*. Hic maximi adiutorii est Historia ecclesiastica proponens varios eventus Ecclesiae. Permanentia ipsius est miraculum ordinis moralis. Hostes eius erant potestates civiles, sicut et corruptio membrorum suorum. His non obstantibus in doctrina et in mediis sanctificationis inviolabiliter et incorrupte permansit et per suam persistentiam ostendit veritatem sui Auctoris dicentis : portae inferi non praevalebunt adversus eam.

[1] Vide post p. 174.

TRACTATUS TERTIUS.

Modus procedendi in demonstranda veritate doctrinae Dni. N. Jesu Christi.

44. *Doctrina quaedam firmatur* aut per evidentiam intrinsecam, aut per extrinsecam.[1] Assertiones igitur eius reducendae sunt ad principia visa vel saltem ad auctoritatem visam. Praeter veritatem singularum propositionum consideranda est et earum veritas relativa, sec. connexionem cum subiecto scientiae. Ex his exurgit harmonia in doctrina, debita proportio partium, integritas scientiae eiusque manifesta oblatio menti contemplanti. Si haec omnia adsint, doctrina ab intrinseco iustificatur et acceptioni commendatur: potest mentem captivare. — Praeter haec considerandi sunt modi propositionis, an sc. proferantur incohaerentia, vel vera tradantur modo convenienti doctrinae, exigentiis auditorum, absque passione et ex solo amore sincero veritatis Multum iuvat in diiudicanda doctrina, si stabiliatur eius origo, fontesque exponantur. Si doctrina per auctoritatem probetur, videndum est, an auctor habuerit scientiam sufficientem et probitatem vitae, quae est omnino necessaria ad veracitatem ipsius stabiliendam et asserendam. Ex parte etiam finis iudicium ferendum est de doctrina, an sc. revera conferat ad culturam humanam, an perficiat mentem et moribus saltem non noceat. — *Obiectum, finis et causa efficiens conferunt ad aliquam doctrinam iustificandam.*

45. *Doctrina religiosa* quoad obiectum tradit ea, *a)* quae ad Deum pertinent, an sc. sit, quid sit, quaenam proprietates Ipsi conveniant et quomodo se habeat relate ad mundum; *b)* determinat finem hominis in mundo et praesertim eius finem ultimum, et tandem *c)* proponit media ad hunc finem ducentia. «Was soll ich halten, was soll ich hoffen, was soll ich tun.» — Finis doctrinae religiosae est coniunctio hominum cum Deo, causa vero efficiens, auctor, debet suam missionem (legationem) manifestare.

46. Si ageretur de mera religione naturali, cum haec limites naturae transgredi non valeat, necessaria et sufficiens foret evidentia intrinseca (per reductionem ad prima principia), sicut et delegatio populi ad auctori-

[1] Hitv. 278. tab. VIII.

tative docendum. Cum tamen religio mere naturalis, supposita elevatione generis hum. ad ordinem supernaturalem, non exsistat, necessario commiscentur religioni naturali hominis lapsi quaedam supernaturalia, ideoque missio Divina necessario demonstranda est pro talibus doctoribus.

47. Inde omnes doctrinae, quocumque modo probatae, examinandae sunt sec. obiectum, finem et auctorem. Reiiciendae sunt, si ex his aliquid Deo indignum vel religioni contrarium inveniatur; si autem tale quid non possit stabiliri, tunc comparando eas videndum est, an sint solum quaedam intentiones praeparantes formam perfectam et stabilem, an vero contraria vel contradictoria proferant. Ex hoc examine patebit, quaenam forma tenenda sit, tamquam maxime congruens exigentiis veritatis et naturae humanae, ita ut pro forma perfectissima satisfaciente omnibus exigentiis stet summa probabilitas. Si insuper haec forma in tali gradu perfectionis appareat, ut viribus naturalibus excogitari non potuerit, si in summa sublimitate, in perfecta harmonia proferat veritates religiosas, tunc interventus Dei certe asseri debet. Est enim miraculum ordinis intellectualis. Sic asserunt aliqui. Hoc tamen simpliciter admitti nequit. Si agatur de veritate logica, res forsan sic se haberet; si tamen respiciamus veritatem realem, aliter iudicandum est. *Veritas logica seu materialis invenitur in fabulis, poëmatibus, mythis* etc. Ingenium auctorum est admirabile sec. maiorem vel minorem inventionem et potest assequi talem gradum, quod opera illorum, sive ex parte obiecti sive ex parte modi inventionis, ex causis naturalibus explicari non possint. Inde dicere solemus quod Auctor naturae det tales gratias (naturales) aliquando et aliquibus. *Si ergo sublimitas doctrinae religiosae sit talis, ut naturaliter explicari nequeat, iure meritoque confugimus ad Deum ut Auctorem inspirantem.* Attamen propter ignorantiam causarum secundarum intermediarum necessarium quidem est postulare causam primam, an vero haec in Deo quaerenda sit, in dubium verti potest. Rationabiliter quidem hoc ponitur, sed non necessario. Multo magis valet hoc, *si agatur de veritate reali seu formali*, quae aliunde quam ex schematibus logicis determinari debet, ex conformitate sc. cum re repraesentata. Hoc autem fieri non potest, nisi recurrendo ad scientiam Dei, quae nobis nonnisi mediantibus miraculis ordinis physici et moralis patefit. Inde probatio doctrinae religiosae ex argumentis ipsi intrinsecis habet valorem apologeticum, quatenus demonstrat illam ex comparatione cum ambiente maximam prae se ferre probabilitatem dignamque esse acceptatione. Miracula supervenientia haec argumenta elevant, ut probabilitas praedicta in certitudinem vertatur, et sublimitas in doctrina inventa revera miraculum ordinis intellectualis haberi debeat.

48. Haec confirmantur, si doctrina Christi examinetur. Si Auctorem spectemus, indubitanter apparet vir sapientissimus et sanctissimus. Ex his auctoritas illi deneganda non est. Utrum tamen ex legatione

Div. locutus sit et suam scientiam, ut Ipse asserit, a Patre habuerit probandum est per interventionem specialem Dei. Hoc fit per miracula Christi et per prophetias Ipsius sicut et Prophetarum. Ex his auctoritas Christi apologetice certissime demonstratur, non per evidentiam intrinsecam, sed extrinsecam, per testimonium sc. Patris.

49. Si doctrina Christi examinetur, per reductionem ad prima principia nequit probari. Mysterium SS. Trinitatis, Incarnationis, elevationis ad ordinem supernaturalem (participatio in vita Dei, visio Dei, infernum etc.) excedunt et superant totam latitudinem entis in quidditate sensibili. Praecepta moralia, sicut et beatitudines, amor Dei supernaturalis, media ad finem supernaturalem assequendum necessaria (ut vgr. gratia actualis-«sine me nihil potestis facere» «trahi a Patre» vel sacramenta) in nullo medio naturali continentur. Inde argumentum ad summum est ex ambiente, sc. ex aspirationibus naturae (ex seminibus virtutum), quatenus his doctrina Christi arridet, imo et mirabiliter et supra omnem spem illis satisfacit ; ideoque nihil obstat, quominus acceptetur et tota vita humana sec. illam dirigatur. Si vero testimonium Dei per miracula in favorem illius adducatur, cum omni certitudine potest iudicium proferri : ergo acceptanda est.

50. In ulteriori examine videndum est, an doctrina in se sit sublimis, et an possideat harmoniam partium (nullam prae se ferens contradictionem), integritatem (totum praebens, quod de tribus obiectis supra nominatis homini scitu est necessarium) et perspicuitatem (quae ex harmonia cum veritatibus naturalibus, cum ambiente, desumitur). His expositis patet, doctrinam Christi esse perfectissimam in ordine religioso, quod permulti quoque osores Christi admittere debent, et ex comparatione cum aliis religionibus de facto admittunt. Nulla namque religio tali modo hominem qua talem, i. e. habentem naturam intellectualem, perficit, quam doctrina Christi. Ex his concludimus : *religio homini ex iure naturae est necessaria. Perfecta igitur religio non potest esse nisi a Deo revelante.* Inde doctrina Christi, utpote perfectissima est a Deo. Accedentibus igitur signis a Deo datis, acceptanda est tamquam vera. Argumentum igitur ex sublimitate doctrinae Christi est sui iuris (independens ab aliis argumentis), *relate tamen ad iudicium finale est tantum praeparatorium.*

51. Idem dicendum est de modo proponendi doctrinam (ex simplici et modo omnium perceptioni accomodato) absque passione, sine inani gloria, ex solo zelo Dei), sicut ex eius originalitate, absque influxu causali aliarum religionum. Haec omnia commendant doctrinam Christi, sed intellectum captivant ex additione signorum.

52. Porro sublimitas doctrinae Christi, sicut et modus proponendi magnum detrimentum patitur, si diversimode explicatur, sicut per multas haereses hoc contingebat. Ideo probatio eius insufficiens esset, si non assignaretur illud institutum, in quo integre et vere permansit. Inde

firmitas argumentorum finalis desumenda est ex admirabili vita ipsius Ecclesiae Christi, cuius unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas sunt ex una parte notae, ex quibus vera Christi Ecclesia diiudicari et inveniri potest, ex alia autem parte sunt miracula, in quibus signum et testimonium Dei in favorem doctrinae Christi inveniuntur. Idem dicendum est de mirabili propagatione Christianismi, quam Historia Ecclesiae describit. Doctrina tam sublimis, philosophiae contemporaneae contraria, passionibus inferioribus nulla modo suadens et maximam, imo supernaturalem perfectionem exigens, transformans mores corruptos, inter divites et pauperes, doctos et indoctos, celeriter fuit propagata in toto imperio Romano et in aliis regionibus. Nullum tolerabat cultum deorum status, ideoque nonnisi cum periculo vitae, vel amissionis temporalium bonorum amplecti potuit. Haec et similia ex causis naturalibus explicari nequeunt. Est miraculum specialis providentiae Div. Ex his formatur iudicium : continuatio operis Christi, eius permanentia solum ex speciali interventu Dei explicari possunt. Ideo ex parte ambientis nihil obstat, quominus ut depositum revelationis Div. amplectatur.

53. Vis motiva talium argumentorum est magni ponderis. Fundatur enim ex una parte supra analysim virium proportionatarum naturae hum., ex alia autam parte infertur ex solutione obiectionum propositarum. Id, quod ex viribus proportionatis naturae hum. communiter cognitae explicari non potest, reducendum est ad vires occultas (praeternaturales), vel ad gratiam Auctoris naturae, quae confertur aliquando et aliquibus. Sic inspiratio poëtica, rhetorica vel alia huiusmodi. Sic proferuntur multa insolita, imo excelsa, quae ad admirationem movent et valde placent. Inveniuntur antem et alia phaenomena, quae capacitatem naturae simpliciter superant. Pro his explicatio solum ex causa supernaturali desumi potest. Sic, si sermo est de sublimitate doctrinae religiosae.

54. Sublime ad rationem pulchri pertinet, quae ex rationibus veri et boni resultat, ideoque tum ad facultatem cognoscitivam, tum ad affectum pertinet. Ex cognitione et ex ponderatione affectus oritur complacentia, ita ut ex hoc effectu, quasi a posteriori pulchrum describi solet : quod visum placet. Complacentia notificat pulchrum communiter sumptum. Si addatur illi admiratio, vocatur excelsum, quod superat mensuram consuetam. Si tandem mentem opprimat, sublime audit. Ad rationem pulchri pertinet harmonia (ordo, integritas et clara perspicuitas). Potest esse morale, amorale, excelsum et sublime. Consideratur vis motiva obiecti, qua facit impressionem in mentem sec. capacitatem eius intellectivam et affectivam. Quando haec impressio est talis, quod mens opprimatur ex rationibus obiecti omnem expectationem et aspirationem superantibus, vocatur sublime. Mens ita concutitur, ut, veluti in terram fixa, ex visis disproportionibus, quae inter contem-

plantem et rem contemplatam stabiliuntur, conscia fiat propriae debilitatis et inferioritatis. Talia obiecta communi nomine sanctitatis designantur, et si simpliciter remanent alta, atque ad communes rationes rerum quotidianarum (profanarum), vel naturali cognitioni accessibilium reduci non possunt, simpliciter sancta vel sacra (sanctitate obiecticva) dicuntur.

55. Doctrina religiosa ex se attingit sublimitatem. Si enim est vera intra limites cognitionis naturalis, Deum ut esse per se subsidens proponere debet, cuius elevatio supra rationes cuiuscumque entis participati evidens est. Inde oritur cultus Divinitatis, sicut et determinatio proprietatum ipsius prout haec ex ente participato determinari possunt. Doctrina tamen haec religiosa semper imperfecta manet, cum pauca, et ea de facili cum permixtione diversorum errorum proferat. Non potest determinatum finem ultimum proponere, nec connexiones inter Deum et mundum tali modo ostendere, ut mens totaliter quietetur. Aliis verbis: non elevatur ad illam sublimitatem, qua harmonia veritatum religiosarum omnes aspirationes et exigentias naturae hum. adimplentium manifestetur et adsit conciliatio infimi et supremi. Ideo remanet semper desiderium ulterioris determinationis, harmoniae et conciliationis, ut in Appendice I. ad librum I. partis I. expositum est. Talis determinationis autem mens hum. ex insufficientia medii, tum obiectivi, tum subiectivi, incapax est, ut ex Tract. III. eiusdem libri patet. Si quis igitur proponat doctrinam religiosam in tali sublimitate, qua esse Dei supernaturale manifestetur, finis homini praefigatur, quo omnes aspirationes naturae hum. impleantur, mediaque proportionata et efficacia assignentur, ex elevatione hominis ad vitam Deo propriam ima summis concilietur, tunc haec non ad vires naturae reducenda sunt, sed a solo Des oriuntur. In hoc sensu sublimitas doctrinae Christi est motivum credibilitatis ex ipsa doctrina desumptum. Est enim miraculum ordinis moralis, cuius confirmatio per motiva extrinseca omne dubium de eius origine Div. aufert.

56. Inter motiva credibilitatis maximam in affectum vim exercet motivam argumentum ex martyrio desumptum. Innumeri fideles constantiam extraordinariam ostendebant in confessione fidei inter circumstantias periculosissimas, imo et sanguinem pro Christo fuderunt. Non tantum viri fortes, sed et senes, mulieres, pueri et puellae, alacriter subibant mortem, ut testimonium de veritate Christianismi redderent. Viri docti verbis et scriptis defendebant doctrinam Christi et sanguinis effusione dicta sua sigillabant. Non erat obstinatio caeca, nec fanatismus, qui eos ducebat, sed amor Dei instigans ad resistentiam et ad contemptum idolorum. Mansueti, pro tortoribus orando adierunt locum supplicii. Cum hoc martyrio, quod est actus fortitudinis, connexae erant omnes actus virtutum, unitique erant in caritate Dei. Per abyssum separatur iste modus martyrii a morte fanaticorum. In hac connexione

martyrium per causas naturales explicari non potest. Est miraculum gratiae Div., actus heroicus, et verum motivum credibilitatis.

57. Modus procedendi in defensione personae et doctrinae Christi est clarus. Sec. methodum Aristotelicam prius stabilitur existentia et postea quidditas rei. Sic statuimus existentiam Christi ex fontibus historicis. Fontes profani de persona Christi, quoad notas caracteristicas (si Josephum Flavium exceperis) pauca loquuntur. Quandoque (ut Toledoth Jesua) omnino blasphema—etiam sec. iudicium Renan—enuntiant. Imaginem veram Christi ex Evangeliis depingimus, in quibus *vir normalis sanus, sapientissimus et sanctissimus apparet.* Relatio eius ad Deum erat intima et pietate plenissima. Erga homines se gessit, ut bonus Pastor, qui cognoscit eos sec. bonas et malas qualitates, et in hoc sensu praedicabat amorem erga illos. Amor eius erat benevolus, sed et severitatem applicans, si necessitas postulabat. Erant in ipso variae emotiones (irae, amoris patriae), at omnia absque enthusiasmo vel fanatismo. Non erat somniator vel extaticus, sed vir sanae vitae psychicae. Summe in ipso elucet zelus Dei. Sagacitatem ingenii ostendit in disputatione cum Pharisaeis, absque haesitatione respondet et agit ,atque sese in omnibus tamquam virum regalem et dominantem ostendit.

58. *Doctrina Christi in Evangeliis tamquam originalis manifestatur.* Litteras non didicit. «Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.» Illa communicavit quae a Patre audivit. Maxima est sublimitas et harmonia huius doctrinae, omnes aspirationes naturae hum. explet, easque in ordine supernaturali ita complet, ut nonnisi ex origine Div. explicari possit. Ut enim ex experientia constat, homines sibi relicti de divinis pauca et cum admixtione multorum errorum loquuntur. Inde ille, qui doctrinam sublimem, absque admixtione errorum, Deo digne et harmonice cohaerentem praedicavit, praesumitur ut magister a Deo missus.

59. Ad positionem traditionalem et fontibus historicis conformem destruendam, Naturalismus varias excogitabat theorias. *Commune principium omnium est, ordinem supernaturalem esse impossibilem, ideoque ex Evangeliis omnia expungenda vel naturaliter explicanda esse,* quae supernaturalia (miracula, doctrinam superantem captum hominis) proferunt. Christum porro fuisse purum hominem, in quo conscientia Messianitatis et Filiationis Div. vel paulatim evolvebatur vel a posteris excogitabatur. Inde Naturalismus duobus ex fontibus sumit argumenta : *a)* ex negatione authenticitatis Evangeliorum *b)* ex applicatione assertionum psychologicarum ad personam Christi. Negligunt imaginem totalem ex Evangeliis depictam finguntque hypothesim particularem, quam extendunt ad totam Christi personam construendam. Sic oriuntur theoriae in Tab. de Persona Christi ordinatae,[1] invicem destruentes. Talem imaginem omnino iniuriosam construxit W. Lange-Eichbaum in suo libro Genie, Irrsinn, Ruhm (München 1942.) p. 379 sequ.

[1] Vide post p. 174.

60. Ad originem doctrinae christianae explicandam praecipuae theoriae sunt : *a)* Error ipsius Christi *eschatologicus*, quo finem mundi, ut mox eventurum expectavit. Ex suo enthusiasmo cogitabat de gloria, in qua in dextera Dei sedens adveniret, et solum, cum hac in expectatione deceptum se vidisset, incepit cogitare de sua morte. Post mortem eius discipuli ipsius voluerunt salvare quod perierat, resurrectionem eius finxerunt. Sic paulatim elevatus est in dignitatem Filii Dei, qui venturus est iudicare vivos et mortuos in gloria Patris. Circa finem mundi mox eventurum et ipsi errabant et sic decepti tandem excogitabant ideam Christianismi in forma hodierna. — Contra hanc theoriam militat doctrina Christi, quae continet normas pro omni tempore valituras. Hae quidem normae eschatologicae dici possunt eo sensu, quod praeparant homines pro regno Dei coelesti, at contra sensum illarum est exclusiva expectatio finis mundi brevi in tempore adventuri. De hoc fine Christus non instruxit homines, sed in suis parabolis eos admonuit, ut semper parati inveniantur. Bene igitur distinguendi sunt diversi modi loquendi in sermonibus Christi, qui partim ad destructionem Jerusalem, partim autem ad finem mundi referuntur.

61. *b)* Alii volunt originem Christianismi *ex fide particularium Ecclesiarum* explicare. — Circumferebantur varia dicta (logia) Christi, de quibus fideles cogitantes et meditantes multa superaddiderunt, ex quibus aedificium Christianismi construebatur, et tandem ipsa Evangelia processerunt. Apostoli hanc evolutionem non potuerunt impedire. Ad hanc fidem ecclesiarum evolvendam multum conferebant consuetudines liturgicae. Ut enim folcloristica probat, ex variis ritibus oriuntur novae opiniones et persuasiones de rebus, ad quas referuntur. Sic etiam ex cultu Christi, quem primitivae ecclesiae tanquam Deum colebant, evolutae sunt variae de Ipso et de modo agendi Eius sententiae, quae in Evangeliis congregatae sunt, quae consequenter solummodo explicationes eorum repraesentant, quae in ritibus christianis proferebantur. Circumferebantur narrationes de Jesu, de eius dictis, de variis modis agendi ex quibus paulatim—mediante fide ecclesiarum—evoluta est doctrina Evangeliorum. Inde ista theoria non se occupat de authenticitate historica Evangeliorum, sed historiam «formarum» scrutatur, ex quibus, ut traditionibus ecclesiarum, composita sunt Evangelia. Ideo vocatur «methodus historiae formarum» (formgeschichtliche Methode). — Sed contra hanc theoriam militat, ipse modus agendi Apostolorum, qui se tamquam doctores a Deo missos gerebant atque auctoritatem vigilandi supra doctrinam revelatam sibi vindicabant. Continuo postulabant conservationem doctrinae traditae, nec aliquid aliud acceptandum esse asserebant praeter id, quod praedicabant.

62. *c)* Ex scientia religionum comparatarum processit *theoria syncretismi*, iuxta quam Christianismus non esset, nisi ulterior evolutio diversarum religionum orientalium, mythorum graecorum vel Judaismi.

Haec positio procedit ex diversis similitudinibus, quae sive in ritibus, sive in assertionibus theoreticis inveniuntur. — At omnia ista materialiter se habent. Semper essentialiter differunt res significatae, ita ut connexio causalis inter Christianismum et alias formas religionis stabiliri nequeat. Permulta vitia in processu inquisitionis stabiliri possunt, quibus demonstratis Apologetica etiam hac ex parte defendit subiectum Theologiae, tamquam veritatem unice ex revelatione, independenter ab aliis religionibus, desumptam. Religio Mosaica utique continet Christianismum in potentia. Ipsi non contrariatur, sed magis clare et explicite exponit ea, quae in revelatione A. T., confuse et implicite continentur.[1]

Conspectus generalis Naturalismi.



[1] Alia ad originem religionis pertinentia v. Hitv. p. 279. squ,

Conspectus assertionum ad personam Christi spectantium.



LIBER SECUNDUS

HORISTICA SPECIALIS

JUSTIFICATIO REVELATIONIS PER JESUM CHRISTUM FACTAE
PROUT IN ECCLESIA CATHOLICA CUSTODITUR, INTEGRE
CONSERVATUR ET INFALLIBILITER PROPONITUR

SEU

DE CONTINUATIONE OPERIS CHRISTI IN ECCLESIA CATHOLICA

INTRODUCTIO.

1. *Duplicem in Christo distinguimus existentiam*, idealem sc. et realem. Idealis existentia praedicatur de Ipso, quatenus praeexistit in revelatione Antiqui Testamenti, tamquam centrum ipsius atque obiectum singulare praedictionis et praedicationis Prophetarum. Existentia eius realis duplicem habet aspectum. Determinato tempore natus est, duxit vitam absconditam, docuit, mortuus et sepultus est atque resurrexit. Haec erat vita Christi temporalis, quae ita consummata est, ut non amplius iteretur et continuetur. Christus semel mortuus est pro peccatis nostris, iustus pro iniustis,[1] sed vivit sedendo ad dexteram Patris atque ut Rex universorum gubernat mundum et sanctificatos perducit ad Patrem. Haec *vita coelestis Christi multiplicem habet aspectum.* Prout ex fontibus revelationis apparet, Christus ad redimendum genus humanum lapsum venit in hunc mundum, ut omnes congregaret *in unitatem cultus Dei sec. ritum christianae vitae.* Inde Christus est caput omnium, qui Deum sic colere, salutem in Christo acquirere et mediis ad hoc ab Ipso determinatis uti intendunt. Ratio huius cultus determinata est in morte Christi salvifica, cuius symbolum est Crux, patibulum, ut S. Augustinus ait, patientis, simul et cathedra docentis. *Totus cultus Dei ratus est sec. ritum Christi in Cruce pendentis*, per illam glorificati et constituti in Regem universorum. Aliis verbis: salutem nemo assequi potest, nisi in virtute Christi per applicationem mediorum ab Ipso determinatorum. Sic Christus est principium universale gratificationis in genere hum. Qua tale est obiectum cultus et Princeps Hierarcha adducens ad Deum, donaque divina communicans hominibus. Ex hoc dicitur Christus caput hominum, qui cum Ipso uniti coetum colentium Deum sec. ritum christianae vitae seu Ecclesiam Dei et Christi constituunt. Christus est caput Ecclesiae, homines vero sunt membra eius. Ad analogiam corporis physici unitas ex Christo tamquam capite, et ex hominibus, ut membris exorta *corpus mysticum appellari potest et consuevit.* Christus est caput, e cuius influxu tota vita et omnis motus in ordine gratiae in membra descendit, homines autem sunt membra, quae recipiunt praedictum influxum. En S. Thomas IV dist.

49. 4. 3. ad 4. : «Nomen Ecclesiae dupliciter accipitur. Quandoque enim nominat tantummodo corpus, quod Christo coniungitur sicut capiti. Et sic tantum Ecclesia habet rationem sponsae. Sic vero Christus non est Ecclesiae membrum, sed est caput influens omnibus Ecclesiae membris. — Alio modo accipitur Ecclesia, sec. quod nominat caput et membra coniuncta. Et sic Christus dicitur membrum Ecclesiae, inquantum habet officium distinctum ab omnibus aliis, sc. influere aliis vitam, quamvis non multum proprie dicatur membrum, quia membrum importat partialitatem quamdam.»

2. Inde ratio essentialis cultus Dei sec. ritum christianae vitae una et indivisibilis est, diversificatur tamen sec. modos recipiendi influxum Christi, i. e. sec. statum, in quo membra versantur. Ex hoc Ecclesia Christi (vel corpus Christi mysticum) essentialiter una, indivisa et indivisibilis *distinctas habet partes potestativas, in quibus virtus Christi vivificans diversis modis manifestatur.* Inde distinctio in Ecclesiam triumphantem, purgantem (patientem) et militantem, quae est Ecclesia viatorum. Prima est gloriosa, in qua membra vivunt sec. perfectam et inamissibilem unionem cum Deo ; secunda est status memborum expectantium hanc gloriam iam ut certo possidendam ; tertia tandem est status expectationis gloriae acquirendae per pugnam contra aëreas potestates et adversus principatus huius mundi.

3. Determinare, quid in fontibus revelationis contineatur de Ecclesia triumphante et purgante pertinet ad Theologiam Dogmaticam. In Apologetica exclusive tratatur de Ecclesia viatorum. *Utrum et quomodo Christus voluerit viatores in unitatem congregare, est quaestio Apolgetica.* Voluitne illos per Semetipsum docere, gubernare atque ad salutem perducere, vel hoc intendebat per aliquod institutum intermedium perficere, cui sanctificationem, instructionem et gubernationem hominum de facto commisit, cui consequenter adhaerere sit de necessitate salutis.

4. In hoc secundo casu institutum istud non est sui iuris et a Christo independens, sed Ipsi in suo esse et agere omnino subordinatum. Quantum ad ea, quae ad essentiam cultus Div. sec. ritum christianae vitae pertinent (ut est communicatio doctrinae revelatae, sacrificium, sacramenta) est solum instrumentum disponens vel perficiens, in ceteris agit per modum causae principalis secundariae, subordinatae, indefectibilis quoad prosecutionem finis a Christo praestituti, qui est salus hominum, defectibilis quoad alia, quae cum esse et agere ipsius aliunde connectuntur[1]

5. Ratione connexionis cum Christo esse et agere Ecclesiae est mysterium in sensu stricto et supernaturale quoad rem (quoad subiectum) ; in his autem, quae ad visibilem eius constitutionem pertinent, repraesentat mysterium secundarium in sensu lato et est supernaturale quoad modum.

[1] Cf. Hitv. p. 19 sequ. Hic p. 194. Consp. II.

6. Ex his elucet, quomodo tractatus de Ecclesia ad Apologeticam pertineat et sub quanam ratione esse eius iustificandum sit. In subiecto Theologiae namque enuntiatur, esse per se subsistens in tribus Personis intantum esse rationem formalem cognoscendi, et per ipsum intantum posse obiectivari veritates revelatas, inquantum in doctrina Ecclesiae manifestatur. Ecclesia ex hoc non ponitur tamquam organum revelationis, bene tamen determinatur ut organum, cui custodia et infallibilis propositio revelationis competit. *Accepitne Ecclesia a Christo huiusmodi mandatum et missionem?* En quaestio ab Apologetica solvenda. Ex hoc dependet valor eorum quoad practicam utilitatem, quae in Axiologia et iustificatione organorum revelationis dicta sunt. *Si enim non possit maxima cum certitudine determinari, ubinam Christus inveniri possit, ubi et quomodo exerceat in tempore opus suum salutiferum in Cruce consummatum,* tunc omnia huiusmodi hucusque dicta inutilia et meri ludi logici sunt. Responsum clarum atque indubiun expectatur: vivitne adhuc Christus in terra, continuatne opus suum salutare, potestne determinari et cum iudicii certitudine cognosci illud organum, quod Christus vivificat, per quod opus suum completur et continuatur?[1] Si non: ratificatur illa conditio horribilis, in qua sequaces Christi versantur et Ipsum in fere tot factiones dividunt, quot sunt homines. Si Christus hac in re non protulit decisionem indubiam, tunc Ipse est responsabilis pro isto scandalo maxime impediente accessum ad Patrem sec. ritum Crucis. Si autem ex verbis et factis Christi elucet, iudicium hac de re certum formari posse, tunc institutum istud amplectendum est ut organum Christi salutare et salutiferum, ita ut omnis separatio formalis ab ipso sit apostasia a Christo, peccatum irremissibile et deviatio a via salutis. Ideo est hic tractatus apologeticus clavis aperiens portam, per quam via salutis inveniri, tuto ingredi et prosequi potest.[2]

7. Tractatus iste apte vocari potest *ostensio credibilitatis Ecclesiae,* vel etiam *demonstratio catholica.* Apologetica nonnisi credibilitatem materialem probare potest, formalis solum in Veritate prima invenitur, sicut et in aliis veritatibus fidei. Iustificatio Ecclesiae est probatio ex ambiente, quatenus demonstratur, quod ex parte rationis hum. nihil afferri possit, quod acceptabilitati Ecclesiae, ut organi continuantis opus Christi contradiceret et hanc persuasionem quocumque modo infirmare posset. Apologetica fontibus revelationis non utitur tamquam obiectis fidei Div., sed ut testibus historicis probatis et acceptabilibus. Ex interpretatione ipsorum mere scientifica ostendit, qualem ideam habuerit Christus de congregatione fidelium Deum sec. ritum Crucis colentium, et quomodo haec idea in opus redacta fuerit ab Ipso. Remansitne incorrupta, tum in mentalitate fidelium, tum in suo esse actuali reali.?[3] Positio catholica vehementer impugnatur. Proponuntur aliae interpretationes fontium revelationis et asseritur, Ecclesiam esse devia-

[1] Visibilitas, [2] necessitas, [3] indefectibilitas Ecclesiae.

tionem ab idea Christi, ideoque effectum alicuius evolutionis mere naturalis. En ambiens scientificum, cuius falsitas ostendenda, atque eisdem mediis scientificis veritas catholica exponenda est atque probanda. *Quietatio rationis hum. per amotionem impedimentorum, ex falso processu scientifico provenientium, pertinet ad Apologeticam.*

8. Iustificatio subiecti Theologiae sec. habitudinem ad Ecclesiam est fundamentalis valoris pro omnibus revelatis credendis, quorum regula proxima in doctrina Ecclesiae quaerenda esse asseritur. Ideo per se pertinet ad Apologeticam, cuius est fundamenta generalia omnium credibilium examinare, ex ambiente probare atque proponere. Si vero doctrina Ecclesiae consideretur per modum alicuius particularis credibilis, in Dogmatica speciali proponi debet, et quidem eodem modo, ac cetera obiecta fidei. Ideo in Theologia antiquiore (sicuti vg. in Summa S. Thomae) non existit tractatus Apologeticus de Ecclesia. Existentia enim ut factum agnoscebatur, quidditas ipsius simul cum gratia Christi et in ipsa exponebatur, auctoritas vero Ecclesiae asserebatur in tractatu de fide, ubi potestas conficiendi symbola Pontifici Romano tribuebatur, et ipsa Veritas prima intantum asserebatur ratio obiectivans revelationem, inquantum in doctrina Ecclesiae manifestatur. Nulla fere est quaestio ad Ecclesiam pertinens, de qua S. Thomas non egerit, sed antiquis temporibus nondum erat necessitas doctrinam de ipsa tamquam fundamentalem considerandi. Exorta haeresi protestantica omnia negante, quae ad visibilem Ecclesiam eiusque auctoritatem pertinent, necessarium fuit doctrinam de Ecclesia speciali modo et tamquam fundamentalem proponere. Ex hoc oriebantur tractatus systematici de Ecclesia, qui in unitatem scientiae Apologeticae tunc solum redigi possunt, si acceptetur subiectum Theologiae a S. Thoma propositum generaliter iustificandum.

NB! Demonstrationes Apologeticae communiter non sunt directae, cum res demonstrandas in se ostendere non valeant. Si agatur de quaestionibus facti, demonstratio directa «quia» assequibilis est, eodem modo, ac in ceteris scientiis hum. Quantum ad quidditatem autem obiecta in Apologetica tractata supernaturalia sunt. Ideo ostensive solum in visione essentiae Div. manifestari possunt. Argumenta ex ente participato desumpta, nec Deum, ut est in se, nec singula mysteria, vel etiam revelationem, sec. principia intrinseca, proxima et immediata, proponere possunt, sed solum innuunt, quomodo ex parte ambientis sese habeant. Si tales demonstrationes non acceptentur, laeditur aliquod principium naturaliter cognitum (ut principium causalitatis, contradictionis) ideoque scissio quaedam in mente oritur, si visis factis extraordinariis causam proportionatam agnoscere nolit. Sic adhibentur motiva credibilitatis, tamquam argumenta et certissima signa ad demonstrandum indirecte ordinem supernaturalem et eius cognoscibilitatem.[1]

[1] De his cf. Hitv. p. 225.

RATIO CONNEXIONIS TRACTATUUM ET QUAESTIONUM AD ECCLESIAM SPECTANTIUM SEC. QUOD AD IUSTIFICATIONEM SUBIECTI THEOLOGIAE CONFLUUNT.

Praenotamina.

9. Ea, quae ad cognitionem Apologeticam Ecclesiae necessaria sunt, in quinque tractatibus tradi possunt, qui sic inscribuntur:

a) De quidditate et constitutione Ecclesiae.

b) De proprietatibus Ecclesiae a Christo institutae.

c) De Ecclesia Romana.

d) De potestate Ecclesiae.

e) De relatione inter Ecclesiam et statum civilem.

10. *Finis examinis harum quaestionum* est ostensio, quod ex fontibus revelationis indubie apparet, Christum voluisse instituere coetum unum et visibilem, hierarchice et monarchice constitutum, cui omnes, qui salutem consequi intendunt adhaerere debent subiiciendo se potestati magisterii, ministerii et regiminis a Christo illi collatae et independenter ab omni potestate civili exercendae. Si haec omnia verificantur, tunc acceptationi subiecti Theologiae nihil amplius obstabit: *doctrina Ecclesiae est tuta regula proxima revelationis et revelatorum, cui adhaerere est rationabile, utpote normae ex fontibus revelationis desumptae et probatae.*

11. *Hic non agitur amplius de quaestione iuris.* Christus namque potuisset et alias regulas proximas fidei constituere. Cur prae aliis Ecclesiam visibilem elegerit, est mysterium sapientiae Ipsius[1] cuius

[1] Rationes convenientiae in Theologia adhibitae multiplicem possunt habere valorem. Convenientia est conceptus relativus, habitudinem duorum vel plurium repraesentans. Ut relatio, firmitatem suam a fundamento mutuat. Est enim similitudo extremorum, subiecti sc. et termini. Ad hoc, quod haec similitudo non sit mere excogitata (relatio rationis), necessarium est, ut fundamenta sint realia, i. e. ut in eadem qualitate sec mensurabilitatem extrinsecam conveniant. Haec convenientia non importat univocationem. Sufficit ratio analoga. In hoc casu convenientia solidum praebet fundamentum argumentationis, secus parit opinionem. — De convenientia alio quoque modo possumus loqui, inquantum designat exigentiam actus vel formae in potentialitate

solum rationes convenientiae ex parte nostra assignari possunt. Quidditas, proprietates et alia consequentia instituti supra assignati nonnisi ex fontibus revelationis desumi possunt. Ideo omnes tractatus *ad quaestionem facti* referuntur. Ostendendum est, qualem ideam habuerit Christus de continuatione sui operis salutiferi (quod proponitur et defenditur in duobus prioribus tractatibus, qui quasi Axiologiam ecclesiologicam repraesentant), et si hoc commisit alicui instituto visiblii, ubinam hoc in concreto inveniri possit. Ex hac determinatione revera finali Apologetica merito notificatur tamquam *defensio revelationis per Jesum Christum factae et in Ecclesia ab Ipso condita conservatae.*

12. In quaestionibus apologeticis examinandis et decidendis utimur methodo in Philosophiae Aristotelico-thomistico acceptata. In cognitione naturali exordimur de obiectis sensu perceptis et per abstractionem in conceptus efformatis. Per compositionem et divisionem efformantur iudicia circa obiecta, in quibus quandoque vestigia tantum essentiae rerum manifestantur. Per abstractionem considerativam, ex comparatione cum aliis conceptibus efformantur ideae essentias rerum repraesentantes. Ex phaenomenis accidentalibus concludimus ad proprietates et tandem ad essentiam substantialem. Simili processu utimur in determinatione quidditatis Ecclesiae Christi, ab Ipso institutae. In S. Scriptura inveniuntur quandoque dicta Domini, in quibus vestigium tantum ideae Ecclesiae exprimitur, ut sunt parabolae de regno Dei. Substantia talium dictorum retinetur tamquam fundamentum, ex cuius comparatione cum aliis dictis et factis Domini (ut est causa Petri, missio Apostolorum ad omnes gentes congregandas, sicut et doctrina ipsorum de executione mandati Christi) elaboratur conceptus clarus et distinctus Ecclesiae. Si in efformandis conceptibus naturalibus alia non datur via nec maior offertur claritas, cur deberemus alium modum quaerere in stabiliendis conceptibus supernaturalibus? In hoc apparet ratio sapientiae Div., quae tradidit mundum disputationi

alicuius subiecti fundatam. Soliditas huius convenientiae desumitur ex principiis subiecti et sec. exigentias eorum induit rationem debiti stricti (necessarii) vel lati, cuius necessitas iam a determinatione principiorum superadditorum vel extrinsecorum desumenda est, et ad debitum morale vel decentiae pertinet. Sic convenit homini ex debito stricto habere intellectum, voluntatem, organa etc. Mensura tamen sec. qualitatem et intensionem non ex natura qua tali, sed a natura individuali desumenda est. Mensura convenientiae sec. qualitates morales est dignitas personalis. Convenit personae hum., imagini Dei, ut praedita sit virtutibus vitam reddentibus vere humanam, Deo similem. Quanto maior est dignitas, tanto magis fundata est exigentia sec. convenientiam. — In ordine gratiae haec omnia mensurantur sec. beneplacitum Dei. Inde argumentationes theologicae ex collatione dignitatis personalis a Deo factae semper solidum undamentum praebent pro attributione sec. convenientiam eorum, sine quibus aliqua dignitas salvari non potest. Pro aliis sunt piae opiniones.

hominum. Peracta igitur hac synthesi positiva, disputandum est cum aliis positionibus, contra quas defendenda est synthesis praefata in doctrina Ecclesiae proposita.

13. *Doctrina Ecclesiae in tractatu apologetico non potest assumi ut argumentum decisivum*, sed post investigationem, servata indifferentia benevola, concludi tantum potest, *decisiones respectivas Ecclesiae esse rationabiliter acceptabiles*, utpote fontibus revelationis conformes et mediis pure scientificis iustificatas.

Hae annotationes sunt magni momenti, ne quis a demonstrationibus theologicis plus aequo expectet. Non enim sunt ad modum demonstrationis mathematicae, sed sufficit, si eandem praebeant certitudinem quam aliae scientiae, via synthesis ascendentes, praestare possunt et solent. Ex temporalibus (particularibus) ascendimus ad aeterna (necessaria et universalia) et per haec iudicamus de temporalibus (particularibus).[1]

His praenotatis conamur ostendere rationem connexionis quaestionum ad tractatum apologeticum Ecclesiae confluentium.

[1] I. 79. 9.

Conspectus tractatus de Ecclesia.



TRACTATUS PRIMUS ET SECUNDUS.

De quidditate, constitutione et de proprietatibus Ecclesiae.

14. Nomen «ecclesia» ex *ἐκκαλέω* derivatur, quod actum convocationis civium in *ἐκκλησίαν* seu coadunationem civilem significabat. Inde in talem coetum non omnes indiscriminatim vocabantur, nec in illo apparere tamquam membra potuerunt, sed solum «vocati» i. e. ius quoddam et officium habentes. In nomine igitur primordiali ecclesiae importatur congregatio eorum, qui vocati sunt ad aliquid communi conatu agendum, decidendum vel exequendum. Haec elementa remanent etiam in conceptu ecclesiae inquantum transfertur nomen ad significandum coetum religiosum. Finis huiusmodi coadunationis est cultus Dei, in quo importatur idem de Divinitate sensus, i. e. eaedem veritates dirigentes mentalitatem sociorum, in ordine tum speculativo tum practico, sicut et eadem exteriora signa, quibus interior religiosus affectus manifestatur. «Vocati» sunt illi, qui se huic cultui voluntarie subiiciunt, vel ad hanc subiectionem quocumque modo tenentur. Coetus talium vocatorum appellatur ecclesia in sensu religioso.

15. Cum omnes homines eadem ratione, propter suam naturam rationalem, teneantur ad cultum Dei, ex iure naturae ad unam pertinent ecclesiam: omnes sunt vocati et obligati ad hoc, quod istam ecclesiam ingrediantur illique adhaereant. Sic ecclesia ex naturali iure est una, et quia natura hum. requirit cultum exterius exhibendum, est etiam ex eodem iure visibilis. *Ius naturale praescribit cultum uni et vero Deo praestandum per signa exteriora interiorem mentis affectum manifestantia.* Directio tamen iuris naturae est universalis, ita ut mentalitas hominum sec. circumstantias locorum et temporum diversas rationes cultus Divinitatis excogitare potuerit. Inde exoritur multiplicatio ecclesiarum intra ambitum legis naturalis. Quid hac in re natura hum. corrupta egerit, apparet ex historia religionum. Loco unius verae Divinitatis ponebantur idola inania, aberrationes mentis hum. significantia, vocatio autem naturalis supplebatur per beneplacitum et electionem libidinosam humanam. Inde huiusmodi coetus ex arte et industria hominum constituti nonnisi aequivoce ecclesiae dicuntur atque aequiparantur illis coetibus profanis, quae antiquitus ecclesiae vocabantur.

16. *Ratio tamen cultus in ambitu quoque puri iuris naturalis variari*

potest. Remanet quidem principalis ratio cultus unius veri Dei, variatur tamen quoad modum, sec. diversitatem signorum exteriorum, quae a naturali iure non determinantur, sed relinquuntur arbitrio hominum vel inspirationi Div. in singulis casibus. Tales coetus possunt vocari ecclesiae in sensu analogico. Conditio autem generis hum. sec. purum ius naturale numquam extitit. Homo sec. decretum Div. elevatus est ad supernaturalem participationem bonorum Div. Ex hoc ratio cultus essentialiter variata est. Modus eius determinabatur ab ipso Deo, ita ut *nomine ecclesiae solum coetus hominum congregatorum ad cultum Dei ratificatum intellegi possit.* Haec ratificatio per revelationem Div. promulgabatur. Ideo tot sub hoc respectu distingui possunt ecclesiae, quot sunt modi et gradus revelationis Div. hominibus communicatae. In omnibus formis ratis et acceptis religionis naturalis inveniuntur indubia vestigia revelationis, postea vero semini Abrahae facta est revelatio clarior, quae apud Patriarchas et Prophetas, praesertim apud Moysen, formam cultus Dei omnino ratificatam repraesentavit. *Omnes tamen istae formae ecclesiae sunt intentionales,* tendentes ad perfectam formam a Christo et in Ipso ratificatam. In formis praecedentibus intentionaliter tantum continebatur Christus, ut principium universale gratificationis in genere hum., post adventum vero Christi actu-formaliter ponebatur ut ratio unificans Deum colentes, *Inde Ecclesia antonomastice est coetus hominum colentium Deum sec. ritum Christi, sec. ritum christianae vitae vel Crucis.*

17. Per Christum restituta est Ecclesia sec. illam puritatem, quam ex naturali iure debet habere, imo et perfecta est sec. omnimodam determinationem elementorum, quae conceptum Ecclesiae ingrediuntur. Deus colendus non amplius est ille, quem viribus naturalibus cognoscimus, sed Deus in se, cognitus ex revelatione. Item ratio cultus simpliciter est supernaturalis sc. ritus Christi, Crucis. In conceptu Ecclesiae igitur nihil intentionale vel quocumque modo multiplicabile invenitur : ex suo conceptu non potest esse nisi una et unica. *Ideo nullam admittit partialitatem sec. partes subiectivas, quatenus ratio communis ecclesiae in diversis multiplicaretur speciebus.* Ratio enim Ecclesiae est unica, indivisibilis, et ita perfecta, ut completionem quamdam per rationes superadditas non tantum non admittat, sed omnino excludat. Species autem completionem generis per differentias superadditas significant. *In Ecclesia porro non possunt admitti partes integrales* eo in sensu, acsi ex iis compositis exurgeret una Ecclesia. In hac hypothesi in nulla partium integrantium inveniretur totum et indivise illud, quod ad essentiam spectat Ecclesiae, sed ex iis simul coniunctis oriretur Ecclesia a Christo intenta. Sic volunt Puseistae, ex Ecclesia Romana, ex coetu Schismaticorum et Anglicanorum constare unam Christi Ecclesiam. At hoc est impossibile. Essentiae namque rerum non possunt esse compositae per modum quantitatis dimensivae, sed sunt concipiendae ut qualitates, quarum ratio in in-

divisibili consistit. Si resultant ex una tantum nota, indivisibilitas earum est clare expressa. Si auten ex pluribus notis exsurgunt, hae non ex additione coëunt in unum conceptum essentiae, sed ex qualitativa mutatione illam repraesentant, quatenus nulla earum retinet propriam rationem independentem, sed sec. contemperationem ad alias notas est pars potestativa unius totalitatis qualitative indivisae et quantitative indivisibilis. Ratio essentiae non salvatur in partibus seiunctim sumptis, sed solum sec. earum coniunctionem repraesentat essentiam, cuius ratio ex quacumque additione vel diminutione qualitativa perit. Essentia igitur integre et indivisibiliter praedicatur et sic inest omnibus, quae rationem ipsius participant. Si resultat ex pluribus notis, nulli illarum identificari potest. Non est summa pluralitatis notarum, sed ratio quaedam ab eis singillatim sumptis omnino et essentialiter diversa. In rebus naturalibus oritur eiusque ratio desumitur ex materia et forma, quae per suum esse informat materiam. In artificialibus vero, sicut est Ecclesia, unitas essentiae desumitur ex respectu ad formam, quae est vel finis vel potestas, per quae in unitatem relativam rediguntur omnia, quae talem totalitatem ingrediuntur. Ideo dicitur: finem vel potestatem esse formam alicuius societatis, non quidem physice informando illam, sicut forma rerum naturalium informat materiam per suum proprium esse, sed trahendo partes ad se, assignando eis locum, dignitatem vel quamcumque functionem in esse totius. In hoc sensu verum est: forma rerum artificialium est ordo, sc. habitudo partium ad finem vel potestatem omnia in una totalitate constituente et continente.[1] *Sic Christus est forma Ecclesiae sec. rationem Capitis*, ex cuius influxu omnia vivificantur et in unitatem rediguntur. *Esse autem Caput et formam Ecclesiae Christo competit sec. veritatem et sec. gubernationem.* Veritas consistit in doctrina a Christo proposita, quae una sola tantummodo et immutabilis esse potest. Ideo vel adest tota, et sic ad se trahit membra conferendo illis ordinem vel habitudinem invariabilem, aut diminuta, et sic iam non est Christi doctrina, quae membra ad Ipsum traheret et in Sua unitate conservare posset. Ex parte igitur veritatis omnino excluduntur partes integrales, partialiter tantum, vel cum falsitate permixte, repraesentantes doctrinam Christi. Gubernatio autem refertur ad ordinem gratiae conferendae pro sanctificatione membrorum et pro adductione illorum ad vitam aeternam, in quo finis operis Christi consistit. Potestas haec exequendi unice in Christo est, tamquam in principio universali gratificationis in genere hum. Utrum et quomodo Christus hac potestate modo extraordinario utatur, nescimus. Modum tamen ordinarium promulgari fecit, quae promulgatio ad nos pervenit in S. Scriptura et in traditione. Sec. hoc Christus in gubernatione utitur mediis, virtutem suam ad homines deferentibus, ut sunt sacri-

[1] Haec sunt formae per modum principiorum proximorum ordinantium. De potestate cf. Örök. p. 291.

ficium et sacramenta. In his debet observari invariabilitas, tum quoad esse sacramentale, tum quoad ritum essentialem. Coetus haec diminuentes vel aliis signis utentes consequenter non possunt esse partes integrales Ecclesiae Christi, sed extra illam versantur. Ad gubernationem porro pertinent leges, quas Christus indubie promulgavit et applicationem earum, sicut et determinationem concretam sec. exigentias temporum commisit suis Apostolis et eorum successoribus. De his legibus quoad substantiam, sicut et de potestate apostolica diversimode sentire haud licet. Ideo nec sub hoc respectu de coetibus invicem integrantibus loqui possumus. Partes integrales consequenter solum ecclesiae particulares vocari possunt, in quibus Christus tamquam forma sec. habitudinem integre invenitur, sec. eandem veritatem et gubernationem. Sic Ecclesia Romana, Graeca (unita) etc. sicut et Dioeceses vel aliae formae particulares.

18. Ratio partium integralium *ex diversa functione* quoque desumi potest, quam singula organa alicuius corporis organici exercent. Inter istas distinguimus partes integrantes substantiales et accidentales. Sec. hanc analogiam possumus etiam in corpore Ecclesiae diversas partes integrales distinguere. Sunt enim organa gubernationis exterioris (Episcopi) et membra gubernata (fideles); sunt organa sanctificationis et cultus Dei sec. ritum christianae vitae (gradus hierarchiae) et sunt participantes (laici). In his ordinibus sunt collocandae partes integrales substantiales Ecclesiae, distinctae sec. functiones essentiales. Distinctio sec. functiones accidentales relinquitur evolutioni historicae et huiusmodi partes sunt diversae sec. loca et tempora.

19. *De partibus potestativis Ecclesiae* viatorum possumus loqui, si consideretur ut corpus Christi mysticum simul cum suo Capite. Id, quod est in Christo sec. plenitudinem et auctoritative, particulariter resplendet in organis sec. potestatem hierarchicam. Item vita Ecclesiae, non tantum interna, sed et externa partialiter manifestat esse et vitam Christi, nunc persecuti et patientis, nunc vero glorificati. Sec. haec stadia quoque possumus distinguere partes potestativas Ecclesiae, ut et vita Jesu manifestetur in corpore nostro.[1]

20. Totalitas ergo Ecclesiae distingui potest: *a)* Sec. partes essentiales, quae sec. communem acceptionem inter se ordinantur per modum potentiae et actus, materiae et formae. Materia et potentia ordinanda sunt homines lapsi, ab Adam derivati; forma vero et actus ordinans est Christus sec. suam veritatem et gubernationem. Ex his duobus, sec. relationem materiae et formae ordinatis et in unitatem per se artificialem reductis oritur Corpus Christi mysticum, Ecclesia militans, quae est pars potestativa illius Ecclesiae, in qua tota virtus Christi explicatur. *b)* Sec. partes postestativas; *c)* sec. partes integrales functionales territorialiter vel temporaliter distinctas.

21. Maior difficultas oritur, si *character socialis Ecclesiae* examine-

[1] I. Cor. 4. 13.

tur. Ecclesiam esse societatem in Deo, indubium est, cum praecise ex ordine ad Deum ratio eius essentialis desumatur. Esse tamen societatem humanam, nullo modo necessario connectitur cum essentia ipsius. Inde diversae positiones sunt possibiles. Una simpliciter negat Ecclesiam esse societatem humanam: dependentia a quacumque auctoritate creata est corruptio religionis et ordinationis ad Deum, a quo sub hoc respectu unice et absque ullo intermedio dependemus. Altera characterem socialem ad mera exteriora et accidentalia restringit. Bona est aliqua socialis constitutio, ut res christiana communi conatu defendatur et propagetur. Data tali occasione Ecclesia per accidens apparet et visibilis fit, secus latet et invisibilis est, nullum ostendens characterem socialem humanum. Ecclesia autem catholica asserit: Christum voluisse condere Ecclesiam ut societatem hum., et sic restituisse ius naturale, quo homo ad societatem ordinatur et in ipsa quaerit et acquirit perfectionem sibi convenientem. Ex hac parte est tractatus de Ecclesia summi momenti Apologetici. Esse et vita Ecclesiae iustificari debent, cum omnia inficiantur tamquam divinitus illi collata. Solum hac iustificatione peracta potest acceptari subiectum Theologiae, sicut et auctoritas Ecclesiae in dirigenda via salutis.

22. Postquam principia de modis colendi Deum atque congregandi homines in societatem Dei sub uno fine cultus atque sub potestate regulante cultum exposita sunt, occurrit quaestio, *an Christus homines in aliqua societate congregare voluerit.* Si non dedit firmas et invariabiles normas circa ea, quae de Deo sentire, et de modo, quo interius (per bona opera) et exterius (sec. ritum cultus, relate ad media sanctificationis) nos gerere debeamus, non instituit Ecclesiam tamquam societatem Dei: ordinationem consciam relationis ad Deum reliquit interiori instinctui cuiusque. Ex fontibus autem revelationis elucet, quod Christus circa Divina theoretice et practice inspecta doctrinam et instructionem determinatam hominibus dedit et communicavit, *ita ut institutio Ecclesiae in sensu societatis Dei indubia omnino sit.* Hoc infertur tamquam sensus immediatus parabolarum aliorumque dictorum Domini. Ex ulteriori autem analysi tamen elucet, quod sensus immediatus tunc solum salvatur, si verba societatem humanam consignificent. Sec. rationem societatis Dei homines immediate et directe referuntur ad Deum, ut principium et finem cultus religiosi, sec. nexum vero socialem hum. sunt *consortes eiusdem cultus*, invicem adiuvantes (relatio consortii), vel subordinati alicui auctoritati a Christo institutae, cultum et ritum sanctificationis ordinanti, custodiendo praecepta Christi (relatio subordinationis). Apologeticae est determinare qualem viam Christus pro continuatione operis sui elegerit. Si solum subiectionem immediatam ad Deum praeceperit, tunc procurationem salutis soli instinctui Spiritus S. commisit, qui in hoc casu est unicum principium docens omnem veritatem et efficiens iustificationem excludendo omnem mediationem hum.

Si autem ex verbis Christi elucet, Ipsum etiam relationes sociales prae oculis habuisse, tunc quaeritur, an hoc solum ad consortium coarctare (ut Protestansismus asserit), vel etiam ad subiectionem (potestati ministerii, magisterii et regiminis) extendere voluerit.

23. In omni casu *finis Ecclesiae* est sanctificatio hominum per reconciliationem cum Deo, remissio peccati originalis et praevaricationum personalium. Ex hoc concluditur : *Ecclesiam esse societatem supernaturalem, cum finis eius, qui est forma societatis, sit talis.* Si igitur Ecclesia etiam ut societas humana a Christo intenta est, non potest in eodem ordine permanere cum aliis societatibus : est mysterium in se et quoad suam originem et constitutionem, licet haec singillatim sumpta in diversis gradibus sint mysteria. Ecclesiae ut societatis hum. connectuntur *fines quidam secundarii*, prout convivit cum aliis societatibus, indiget bonis temporalibus, defendit suos subditos contra incursus societatum hostilium etc. Vita temporalis Ecclesiae ex hoc habet determinationem specialem et de facili exponitur deviationibus et contemptui hominum. Apologeticae est defendere Ecclesiam ex parte finium ostendendo puritatem ipsius desumendam esse ex fine principali et intrinseco, non autem ex iis, quae illi ab extrinseco coniunguntur.[1]

24. Ex synthesi dictorum Christi apparet, Ecclesiam non tantum societatem hominum cum Deo, verum etiam societatem hum. sec. consortium et sec. subordinationem repraesentare. Institutio tamen divina Ecclesiae defendenda est sec. diversitatem studiorum, quae in vita ipsius stabiliri possunt. Generaliter negatur, a Christo societatem hum. conditam fuisse. Haec foret effectus evolutionis solius historicae, quae ex dissensione Petrinismi et Paulinismi incepit et tandem ad Ecclesiam catholicam pervenit, quam destruere est finis omnium conatuum, restituere volentium ecclesiam «pure evangelicam». Contra hos conatus ostendendum est, *elementum essentiale a Christo determinatum in Ecclesia catholica, in eaque, sola permansisse*, ita ut evolutio historica nonnisi quaedam accidentalia illi superaddiderit, ex quibus consistentia eius temporanea fulcita et stabilita fuit. Haec tradere est Historiae ecclesiasticae, quae sub hoc respectu est scientia subordinata Apologeticae.

25. Ut haec defensio apologetica solida sit, ostendendum est, qualem constitutionem Christus Ecclesiae a se conditae dederit. Si namque membra Ecclesiae solum sec. relationem consortii congregare voluit, tunc singuli fideles sunt aequales. Utuntur quidem aliquibus signis cultus (ut est baptismus, coena) quae tamen rationem puri signi nullo modo transgrediuntur, efficacitatem pro sanctificatione non possident, nisi in praedestinatis (Calvin) vel in iustitia Christi obtegentis peccata (Luther) : sunt signa adhaesionis ad Christum, qua quis confi-

[1] Cf. Hltv. p. 20. sequ.

tetur suam spem (fidem fiducialem) in Christo iustificationis. Si autem Christus suos fideles sec. relationem subordinationis congregare voluerit, tunc *administrationem mediorum sanctificationis certo coetui commisit cui et potestatem magisterii et regiminis contulit.* In hoc casu media sanctificationis sunt signa efficacia (causae) quorum firmitas et validitas a potestate ministrorum dependet. Item quoad doctrinam confitendam, sicut et ad vitam ducendam fideles his potestatibus, tamquam nomine et auctoritate Christi dirigentibus et praescribentibus subordinantur, a quorum directione regula proxima credendi et agendi desumi debet.

26. Ex fontibus revelationis elucet, Christum *inaequalitatem membrorum Ecclesiae intendisse.* Absoluta est aequalitas per respectum ad Deum et Christum, a quo omnes salutem expectant, sed inaequalis est participatio quoad modum conferendi sanctificationem. Sunt quidam, qui in collatione eius active se habent, alii vero passive, per modum recipientis. Item ex eadem institutione divina alii sunt regentes, alii gubernati. Si haec fundata sunt in fontibus revelationis, constitutio hierarchia Ecclesia indubie probatur.

27. *Notionem hierarchiae* pro tractatu apologetico desumimus a S. Thoma I. 108. Sec. etymologiam derivatur ex ἱερός et ex ἀρχή, quod principium, in rebus autem socialibus auctoritatem, principium gubernationis significat. Hierarchia igitur est sacer principatus. *Est sacer* ratione finis, cum bonum commune spirituale, sanctitatem, respiciat. *Est principatus*, quia per modum principii gubernantis ad finem sacrum perducit. Sanctitas, de qua hic et nunc loquimur, est obiectiva, quia auctoritas gubernans firmatur in maiestate suprema Dei; est etiam formalis, quia servitium ipsi praestandum vel sec. principia vitae sanctae consideratur, vel quia totum gubernium ad hoc tendit, ut haec principia acquirantur et in sua functione conserventur. Hierarchia igitur plenissime servatur in gubernatione Dei, cuius maiestas sese ad omnia extendit et cui omnia subordinantur atque ita serviunt, ut a voluntate eius sancta deficere non possint. «Unde, quod recedere videtur a divina voluntate sec. unum ordinem, relabitur in ipsam sec. alium.»[1] Sanctitatis tamen formalis sola creatura rationalis particeps esse potest. Ideo hierarchia in sensu stricto intelligitur quoad gubernationem eius in tendendo ad sanctitatem et in ipsa assequenda. «Quia igitur unus est Deus, princeps non solum omnium Angelorum, sed etiam hominum et totius creaturae, ideo non solum omnium Angelorum, sed etiam totius creaturae rationalis, quae sacrorum particeps esse potest, una est hierarchia.»[2] Considerato autem modo, quo ratio gubernationis exsecutioni mandatur et ad singula gubernata pervenit, possumus de diversis hierarchiis loqui, ita ut singula principia, sub quibus gubernanda ordinantur, nomine «hierarchiae» vocari possint, et si sint plura, ordinem hierarchicum constituunt atque

[1] I. 19. 6.

[2] I. 108. 1.

ab iis, quos gubernant, potestate conferendi sacra atque regendi subditos, distinguuntur. «Si consideretur principatus ex parte multitudinis ordinatae sub principe, sic unus principatus dicitur, sec. quod multitudo uno et eodem modo potest gubernationem principis recipere. Quae vero non possunt sec. eundem modum gubernari a principe, ad diversos principatus pertinent ; sicut sub uno rege sunt diversae civitates, quae diversis reguntur legibus et ministris.»[1]

28. Hierarchia igitur est sacer principatus. In nomine autem principatus duo intelliguntur, sc. ipse princeps et multitudo ordinata sub principe. Aliqua igitur societas hierarchice est constituta *si finis eius est sanctitas assequenda, organa vero gubernationis sub uno principe sacro ita ordinantur, ut distinguantur inter se et a subditis sec. potestatem sacram et santificantem.* Sub supremo igitur hierarcha ordinantur organa sec. dignitatem, cuius ratio ex participatione sacrae potestatis desumitur. Illi, qui eandem habent potestatem, in eodem gradu vel ordine hierarchico sunt. Inter se sunt consortes, coordinati, relate ad superiorem gradum subordinati, per respectum autem ad inferiores gradus et subditos sunt dominantes. Coetus eorum, qui potestatem sacram sec. diversos gradus vel ordines distinctam habent, antonomastice hierarchia vocari solet, utpote consortium principum et organorum gubernantium. Sic subditi non pertinent ad hierarchiam. Si autem consideretur societas hierarchice constituta, tunc sec. conceptum syntheticum etiam multitudo ad hierarchiam pertinet, tamquam gubernata ad sanctitatem.

29. Ut demonstretur constitutio hierarchica Ecclesiae ad sequentia respiciendum est :

a) An Deus salutem generis hum. lapsi per aliquem mediatorem operari voluerit. Iste mediator est Verbum Incarnatum, JESUS CHRISTUS, qui est principium universale gratificationis in genere hum. Ipse igitur est *primus Hierarcha* sanctificans et gubernans virtute Div. sibi sec. esse personale propria. Haec probata sunt in libro primo huius secundae partis et fusius exponuntur in Dogmatica speciali.

b) An Christus hanc potestatem organis humanis in tempore operantibus committere voluerit. Haec organa debent esse Christo subordinata sec. leges evangelicas, quatenus solam veritatem a Christo annuntiatam custodiunt et suis fidelibus proponunt. In administrandis autem mediis sanctificationis (sacramentis et sacrificio) sunt instrumenta disponentia et perficientia.

c) An Christus voluerit habere in terris Vicarium, cui plenitudinem potestatis tradidit. En quaestio de primatu S. Petri eiusque successorum.

d) An Christus potestatem regiminis, non tantum sub vigilantia, sed etiam sub iurisdictione sui Vicarii, alicui coetui speciali, successoribus sc. Apostolorum, committere voluerit.

[1] Ibd.

e) An tandem Christus administrationem mediorum sanctificationis coetui speciali commiserit, qui hac in re servitio ministrorum utitur.

Si hae quaestiones affirmative resolvuntur, tunc et constitutio hierarchica Ecclesiae, et gradus vel ordines hierarchici sufficienter, mediis pure scientificis, probantur, atque doctrina Ecclesiae, ut ex parte ambientis acceptabilis apparet.

30. In his quaestionibus decidendis non parvae difficultates oriuntur ex conatu eorum, qui constitutionem charismaticam primitivae Ecclesiae demonstrare intendunt, vel inficiendo constitutionem monarchicam, alios modos proponunt, ita ut tum hierarchia, tum forma monarchica essent solummodo effectus evolutionis mere humanae. His omnibus libenter concedimus, hierarchiam ecclesiasticam decursu temporum per varias dignitates et officia distinctam fuis se, ex quo tamen non fuerunt creati novi gradus vel ordines, qui invariati remanserunt in ea dispositione, quam Christus decreverat.

31. Determinatis iis, quae essentiam et a Christo intentam constitutionem Ecclesiae respiciunt, *determinandae sunt eius proprietates*, quae una ex parte dotes eius manifestant, alia vero ex parte notas, ex quibus ut vera Ecclesia a Christo instituta dignosci potest, repraesentant. Ut enim ex Logica notum est, *essentia* significat notionem, ex qua scitur, *quid aliqua res sit, proprietas autem repraesentat, qualis sit.* Ideo proprietates generaliter sunt qualitates essentiam notificantes. In ordine inventionis seu synthesis ex proprietatibus pervenimus ad cognitionem essentiae, in ordine autem iudicii seu analysis ex essentia cognita determinamus eius proprietates. Qualitates essentiam notificantes sunt duplicis ordinis. Notificatio manet in linea essentiae, si aut sub novo conceptu clarius essentiam confuse significatam exprimit (proprietates in sensu latissimo sec. aequivalentiam conceptuum), aut repraesentat gradum quemdam logicum vel metaphysicum ipsius (proprietates in sensu lato sec. inaequalitatem), aut tandem qualemcumque notam, sine qua essentia intelligi non potest (proprietates in sensu minus stricto). Huiusmodi qualitates vocantur *dotes essentiae.* In istis casibus proprietates saltem materialiter identificantur cum essentia, quae est res significata per illas, formaliter autem, sc. sec. notionem per eas expressam differunt ab illa. Minima est distinctio inter essentiam et proprietates in sensu latissimo, maxima autem relate ad proprietates in sensu minus stricto quae essentiam per notam omnino inadaequatam exprimunt. In omni casu *dotes sunt proprietates seu qualitates quidditatis, illam in linea essentiae notificantes.* Sunt rationes particulares, quasi resplendentiae et eradiationes ipsius essentiae, quibus se, inquantum essentia est, manifestat et ostendit divitias suae virtualitatis, vel quibus praedita est, quasi ad tutelam sui esse quidditativi, vel tandem quibus ornatur ad suam bonitatem, pulchritudinem et valorem seu perfectionem servandam. Proprietates autem in sensu strictisssimo nec materialiter identifi

cantur cum essentia, quae est solum subiectum illarum. Hae proprietates fluunt ab essentia, distinguuntur ab ea, sicut res a re, etsi necessario illam comitentur. Hae proprietates sunt notae essentiae, ex quibus ad illam tamquam radicem substantialem concludimus. *Notae igitur sunt proprietates ab essentia fluentes illamque necessario comitantes, esse vel posse ipsius determinantes radicemque substantialem sic notificantes.* Sunt accidentia essentiae propria.

32. Non tantum res naturales, sed et artificiales habent proprietates ad esse suum consequentes. In rebus naturalibus proprietates consequuntur ad rationem ab Auctore naturae conceptam, in artificialibus autem ad ideam artificis, in qua quaedam sunt necessario contenta, quaedam vero sequuntur sec. determinationem voluntatis eius, et sic de facto necessario connectuntur cum essentia, ut nota apostolicitatis cum quidditate Ecclesiae, dum ceterae notae vi essentiae fluant ab ipsa.

33. Proprietates Ecclesiae sub duplici aspectu considerari et proponi possunt. Sunt quaedam, quae esse eius notificant (proprietates staticae) aliae autem, quae posse et operari ipsius repraesentant (proprietates dynamicae). Inter primas sunt dotes Ecclesiae, quae ostendunt divitias et perfectionem supernaturalem, quibus Deus sponsam Filii sui ornavit. «Specie tua et pulchritudine tua intende prospere procede et regna» possumus dicere de Ecclesia talibus dotibus ornata. Pro Apologetica vero maximi momenti sunt *notae Ecclesiae, ex quibus ad cognitionem pervenimus, ubi vera Ecclesia Christi inveniri possit.* Ideo tractatus tertius nihil aliud est, quam inquisitio, in quali forma Christianismi — prohdolor in tot partes discerpti — inveniatur indivise illud, quod de essentia Ecclesiae, sec. mentem Christi constitutae in primo tractatu traditum fuit. In hoc tractatu apparet Apologetica, ut *defensio Ecclesiae catholicae Romanae.* Proprietates Ecclesiae in ordine dynamico ostendunt, utrum et qualem potestatem Christus Ecclesiae suae militanti contulerit.

34. His omnibus in favorem Ecclesiae catholicae determinatis finitur negotium Apologeticum et subiectum Theologiae ex omni parte iustificatum atque acceptabile proponitur. Tractatus de relatione inter statum civilem et Ecclesiam per modum appendicis adnectitur Apologeticae, quasi aliquid consequens ad ea, quae ad essentiam Ecclesiae pertinent.

I. *Conspectus proprietatum Ecclesiae ad esse et consistentiam eius pertinentium.*



II. *Conspectus proprietatum Ecclesiae potestatem ipsius repraesentantium.*



CONCLUSIO TOTIUS OPERIS.

1. De diversis functionibus subiecti scientiae abunde scripsit auctor in periodico Divus Thomas (Friburg.) a. 1946, pp. 29—44. Sec. munia huc assignata examinare possumus, quid scientia theologica a suo subiecto expectare possit.

2. *Subiectum est synthesis omnium obiectorum in ambitu alicuius scientiae cognoscibilium.* Sec. universalitatem logicam circumscribit terminos, intra quos inquisitio (via synthesis) institui debet. Quid potest conferre ad iustificationem subiecti Theologiae? — posuimus quaestionem, quam resolvimus assignando totum ambiens, quod ex parte cognitionis naturalis cum ipso quocumque modo connecti potest. Schema ambientis proposuimus in tab. IV. Introductionis.[1] Est tantum schema ; nam in obiectis huc assignatis de facto includitur tota scientia hum., quae multa praebet ad iustificationem subiecti Theologiae apta, sed etiam talia, quae apparenter ipsi contrariantur. Argumenta primi ordinis, quae ex convenientiis in nota 3. libri II. Horisticae assignatis desumuntur,[2] fulciunt acceptabilitatem subiecti Theologiae ; ea autem quae acceptabilitati ipsius adversari videntur, per solutionem argumentorum conferunt ad finem Apologeticae. Consursus quamplurium particularium disciplinarum est necessarius ad hoc, quod via synthesis feliciter peragatur, prout ex expositione huius operis patet. Ideo confidenter diximus, subiectum Theologiae esse synthesim totius cognitionis hum. a Deo commissae. Continet virtualiter totam revelationem actualem, ut humano modo cognoscibilem in lumine ambientis. Ex hac parte dicere possumus, *Apologeticam esse scientiam invitantem omnes disciplinas particulares ad cooperandum in iustificatione subiecti Theologiae.* In hac cooperatione positive se habent omnes scientiae hum. indifferenter-benevole se habentes, negative vero illae, quae impugnationem religionis pro fine habent. Post solutionem tandem argumentorum et ipsae serviunt fini Apologeticae, ita ut merito edicere possimus : *non esse recedendum a principio in subiecto Theologiae enuntiato propter ea, quae exterius apparent.*

3. Si igitur subiectum Theologiae sec. universalitatem logicam consideretur, est universalis ratio cognoscendi obiectorum, quae in iustificationem ipsius assumi et ad eam quocumque modo concurrere possunt. Facta autem iustificatione subiectum Theologiae evadit prin-

[1] V. p. 32. [2] V. p. 182

cipium universale reale cognoscendi vel diiudicandi omnia obiecta menti hum. accessibilia. Hoc schematice repraesentavimus in tab. V. Introductionis.[1] In hoc statu assimilatur enti participato virtualiter continente particularia obiecta naturali cognitioni accessibilia. Quomodo inclusio haec intelligenda sit, exposuimus in Introductione. Simili modo continet subiectum Theologiae obiecta actualis revelationis et ea, quae cum iis ex parte ambientis connectuntur.

4. Quomodo autem subiectum Theologiae hanc functionem in ordine analytico exerceat, exemplis illustrabimus. Subiectum Theologiae enuntiat *principium quoddam universale, supernaturale, ex revelatione acceptum, per ambiens iustificabile, intra limites actualis revelationis, prout haec in doctrina Ecclesiae manifestatur.* Si ergo quaestio ponatur, quid sit obiectum fidei purae, sive divinae, sive catholicae, notae in subiecto Theologiae assignatae applicandae sunt: illud, quod est supernaturale (sec. aliquem gradum in tab. VI. et VII.[2] Appendicis II. ad Axiologiam generalem assignatum), ex revelatione actuali per ambiens iustificata cognitum atque in doctrina Ecclesiae propositum. Sec. hanc mensuram debent proponere, tum Theologia dogmatica et moralis, tum et ceterae disciplinae theologicae, principia, ex quibus suas deducunt conclusiones. Inde *subiectum Theologiae est supremum principium pro diiudicandis revelatis.* Idem dicendum est quoad revelabilia i. e. quoad conclusiones, quae ex revelatis mediante ambiente deduci possunt. Aliqua conclusio theologica eo firmior est, quo minus ad eius veritatem ontologicam constituendam ambiens concurrit i. e. materialiter tantum et per modum instrumenti late vel in sensu latiore sumpti se habet. (Cf. tab. de instrumento IV. et V.[3] annexas Horisticae generali.) Si vero ambiens applicatur per modum instrumenti perficientis, connexio conclusionis revelabilis cum revelatis est quidem formalis, sed remanet locus disputationi, quousque lites per magisterium Ecclesiae dirimantur. Si tandem ambiens per modum causae principalis influat ad conclusiones theologicas deducendas, oriuntur sententiae theologicae stricte scientificae, heterogeneae a revelatis, quae quidem a magisterio Ecclesiae infallibiliter diiudicari possunt, obiecta tamen fidei divinae vel catholicae fieri non possunt. Ad *influxum igitur ambientis respiciendum est non tantum in Theologia dogmatica, sed praecipue in Theologia morali et in Iure canonico, ut recte diiudicari possit qualitas obligationis amplectendi aliquam propositionem vel normam agendi.* Ex hoc deciditur quaestio, an aliquid sit de iure divino, vel ecclesiastico, ideoque an admittat exceptionem (dispensationem), necne.

5. Quoad disciplinas profanas influxus subiecti Theologiae non est tam directus, quam in sacris; nihilominus, considerata eius origine quoad iustificationem, debet esse firmissimus. Non dirigit eas in inventione suarum conclusionum, sicut nec Metaphysica similem in eas exercet

[1] V. p. 33. [2] V. p. 72—73. [3] V. p. 161—162.

influxum, tamen iudicium de earum valore reservatur utrique. Assertio, quae adversatur principiis Metaphysicae, merito supponitur vel in se falsa, vel exorta de aliquo processu vitioso synthetico. Sic vg. ponere materiam improductam, primo aspectu opponitur legi universalissimae potentiae et actus. Ideo assertio eius in se, ex primis Metaphysicae principiis, reiicienda est. Negatio immortalitatis animae non laedit quidem aliquod principium metaphysicum directe, bene tamen indirecte, quatenus excludit possibilitatem entis spiritualis. Inde antequam Metaphysica hac de re iudicet, examinare debet processum syntheticum, ex quo praedicta negatio exiit. Invento vitio per reductionem ad prima principia rationis, finaliter iudicat de valore ipsius. Permulta iudicia Metaphysicae de conclusionibus particularium scientiarum habent tantum valorem veritatis practicae, qua earum acceptabilitas suadetur vel vetatur : *possunt in synthesim mentalem assumi vel ab ipsa excludendae sunt.*

6. Simili modo assumitur subiectum Theologiae in principium universale totius synthesis mentalis obiectivae et subiectivae. In his, quae ad fidem (revelationem) directe pertinent (cf. tab. de obiecto fidei, pag. 110.) est ratio formalis cognoscendi, seu illud «ultimum» ad quod conclusiones particulares reducendae sunt, et in cuius lumine verae vel falsae apparent. Talem occupat locum in organismo universae cognitionis hum., ac prima principia rationis in ambitu cognitionis naturalis. Si asseritur aliquid sive ad fidem in se, sive ad eius integritatem pertinens, examinandum est sec. illas notas, quas supra retulimus. Si habeat relationem ad Deum de salute hominis providentem, proindeque referat obiectum supernaturale, saltem sec. connexionem manifestantem per se credibilia, nec adversatur doctrinae Ecclesiae, tamquam conclusio firma est acceptanda, secus vel reiiciendum, vel solum ut opinio pia retinendum, si aliquod saltem fundamentum connexionis adsit. Haec ideo, quia ea, quae directe ad fidem pertinent, continentur in virtualitate positiva subiecti Theologiae, quod ex demonstratione Apologeticae tamquam «summa» revelationis proponitur.

7. Ea autem, quae indirecte ad fidem pertinent, per subiectum Theologiae non possunt semper sec. formalem veritatem diiudicari sed persaepe solum sec. materialem et practicam tantum acceptabilitatem. Ratio est, quia haec in virtualitate negativa ipsius continentur, cum subiectum Theologiae per cognitionem naturalem solum per modum ambientis iustificari possit. In sua propria formali veritate est ab ambiente independens, ita ut rationes ad iustificationem ipsius assumptae solummodo extrinsece se habeant, ideoque subiectum Theologiae in ordine analysis, seu iudicii, tantummodo sic applicari potest: *non praescribit, quid in scientiis profanis veri aut falsi sit, sed quid ex conclusionibus earum acceptari vel reiici debeat, ut unitas synthesis mentalis servari possit.* Inde vel directe monet eas de revisione sui processus synthetici, vel patienter expectat, quod decursu temporum huiusmodi vitia detegantur

vel auferantur, sicut hoc persaepe iam contigit. Illud quod est aeternum, ad rationes aeternas reductum, supervivit temporanea ab ingenio humano excogitata.

8. *Subiectum scientiae est principium ordinativum* obiectorum, quae sec. propinquitatem ad ipsum ut prius et posterius (systematice) ordinantur. Ea, quae in ordine synthesis, seu inventionis, eius notas essentiales manifestant, praecedunt cetera, quae inter se et quoad valorem sec. gradum et rationem necessariae connexionis ordinantur. Sic ordinavimus obiecta, ex quibus subiectum Theologiae iustificatur. Propinquissime in hoc negotio se habet religio et esse supernaturale, postea media cognoscendi et critica eorum, quae ad fontes revelationis pertinent. Inde processus apologeticus in hoc opere propositus et in tab. IV. Introductionis delineatus. Pro ordino autem analytico seu iudicii obiecta sec. valorem ordinantur ad metam tab. V. Introductionis.

9. *Subiectum scientiae est bonum universale ipsius scientiae*, quatenus in ordine synthesis omnia ad hoc ordinantur, ut firmitas ipsius stabiliatur et principium inconcussum pro ordine analysis proponatur. Subiectum autem Theologiae non est tantum principium syntheticum alicuius scientiae particularis, sed synthesis totius cognitionis sive ex revelatione, sive aliunde haustae. Ideo est scientia Apologetica, illud undequaque iustificans, tanti momenti et talis dignitatis, cui aliae scientiae comparari vix possunt. *Ab Apologetica expectatur propositio et iustificatio principii firmi totius synthesis mentalis, ideoque subiectum Theologiae merito vocatur bonum universale omnium scientiarum, ad cuius defensionem omnes—suo modo—conferre, eiusque directioni sese subiicere debent.*

SYNOPSIS

TRACTATUUM ET QUAESTIONUM

AD APOLOGETICAM PERTINENTIUM, SEC. RELATIONEM AD SUBIECTUM THEOLOGIAE INTER SE ORDINATORUM ET AD OBIECTIVATIONEM EIUS CONFLUENTIUM

INTRODUCTIO.

1. De notione et historia Apologeticae.
2. De necessitate iustificandi subiectum Theologiae.
3. De mediis et modis defensionis subiecti Theologiae.

PRIMA PARS.

Axiologia Apologetica.

seu

De esse et cognoscibilitate ordinis supernaturalis.

Liber primus. Axiologia generalis.

seu

De possibilitate obiectivationis ordinis supernaturalis in se et per ambiens naturale.

TRACTATUS PRIMUS. DE RELIGIONE. II—II. 81.

1. De conceptu religionis. Definitio nominalis ; realis ; conceptus erronei. Divisio religionis.
2. De origine religionis. Fundamentum ontologicum ; fundamentum psychicum. Theoriae explicantes religionem quoad originem. Diversae scientiae circa religionem.
3. De obligatione profitendi religionem :
   a) pro singulis hominibus
   b) pro societate.
4. Unica est vera religio, quam omnes acceptare tenentur.
5. De Liberalismo.

TRACTATUS SECUNDUS.

De notione ordinis supernaturalis deque eius existentia.

1. De conceptu naturae, prout opponitur innaturali, praeternaturali, libero et artificiali.
2. De notione esse supernaturalis.
3. De existentia ordinis supernaturalis demonstrata ex parte medii obiectivi.
4. De mysterio ; de possibilitate ; de mysterio in sensu theologico.
5. De relatione mysteriorum ad cognitionem naturalem.
6. De existentia ordinis supernaturalis demonstrata ex capacitate subiecti.
7. De systematibus negantibus ordinem supernaturalem.

TRACTATUS TERTIUS.

De possibilitate manifestationis ordinis supernaturalis per revelationem.

1. Notio revelationis.
2. De possibilitate revelationis.
3. De necessitate revelationis.

TRACTATUS QUARTUS.

De motivis (notis, criteriis) credibilitatis et credenditatis seu de rationibus inducentibus ad acceptandam revelationem.

1. Mysteria sunt rationabiliter credibilia et credenda.
2. De notione motivorum credibilitatis et credenditatis deque eorum valore.
3. De motivis extrinsecis credibilitatis
   a) de miraculo,
   b) de prophetia.

Liber secundus. Axiologia specialis

seu

De mediis cognoscendi ordinem supernaturalem per revelationem Div. manifestatum.

Proëmium: De lumine intellectuali.

TRACTATUS PRIMUS.

De medio cognoscendi revelationem immediatam seu de prophetia.

1. De modis influxus exterioris in cognitionem et inspirationem in genere; divisio inspirationis.
2. De prophetia in genere et de eius divisione. II—II. 171. 1—2; 12. Ver. 1.
3. De obiecto prophetiae. II—II. 171. 3—6; 12. Ver. 2.
4. De causa prophetiae. II—II. 172; 12. Ver. 3—5.
5. De modo cognitionis propheticae. II—II. 173; 12. Ver. 6—9.
6. De divisione prophetiae. II—II. 174; 12. Ver. 10 sequ.

TRACTATUS SECUNDUS.

De mediis revelationis transmittendae et custodiendae

QUAESTIO PRIMA.

De medio transmittendi revelationem seu de inspiratione.

1. De notione S. Scripturae.
2. Notio inspirationis.
3. Quid requiritur ad hoc, quod Deus sit auctor alicuius libri?
4. De extensione inspirationis.
5. De criteriis inspirationis.

QUAESTIO SECUNDA.

De modo transmittendi revelationem per traditionem.

1. Notio traditionis.
2. De existentia traditionis.
3. De immutabili conservatione traditionis
   a) per quaenam media fiat?
   b) utrum sensus eius mutetur?

QUAESTIO TERTIA.

De mediis custodiendi et infallibiliter tradendi revelationem legatis Dei factam.

1. De magisterio Ecclesiae.
2. De infallibilitate Romani Pontificis.
3. De auctoritate Conciliorum.

QUAESTIO QUARTA.

De mediis auxiliariis in dirigenda fidelium mentalitate.

1. De SS. Patribus.
2. De Theologis.
3. De ratione hum. et de praecipuis scientiis.

TRACTATUS TERTIUS.

De medio cognoscendi revelationem mediatam seu de fide.

Introductio.

1. Etymologia fidei; diversi modi acceptandi in usu communi et in scientiis definitio initialis.
2. De auctoritate.
   a) Definito.
   b) Ratio formalis auctoritatis est potentia seu potestas.
   c) Oppositio eius ad principiatum.
   d) Auctoritas pro ordine intelligendi.
   e) Quomodo auctoritas iustificanda sit, seu quid de ipsa probari debeat, inquantum est medium in quo cognoscendi?
   f) De gradibus probationis.
   g) De auctoritate pro voluntate seu in ordine morali.
   h) Distinctio inter auctoritatem Div. et humanam.
3. Notae generales de obiecto potentiae vel habitus.
4. Conspectus tractatus de fide.

QUAESTIO PRIMA.

DE OBIECTO FIDEI. II—II. I.

CAPUT PRIMUM.

De obiecto fidei quoad essentiam.

Proëm: De fontibus fidei.

1. Utrum obiectum fidei sit Veritas prima. II—II. 1. 1.
   a) De modo cognoscendi per abstractionem et per revelationem.
   b) De obiecto materiali fidei.
   c) De obiecto formali fidei.
   d) Utrum obiectum fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis. II—II. 1. 2.

CAPUT SECUNDUM.

De proprietatibus obiecti fidei.

1. Non est purum lumen intellectuale.
2. Ex parte veritatis:
   a) quoad valorem: excludit falsitatem. II—II. 1. 3; II—II. 4. 8.
   b) quoad firmitatem: excludit opinionem et dubium. II—II. 2. 1; II—II. 4. 8.
   c) quoad vim movendi:
      α) obscuritas: exclusio evidentiae immediatae (visionis) et mediatae (scientiae). II—II. 1. 4—5.
      β) admittit evidentiam extrinsecam (ex parte ambientis).
3. Ex parte bonitatis: verum sub ratione boni supernaturalis finito modo propositi movens voluntatem: libertas assensus. II—II. 2. 9—10.
4. De motivis credenditatis.

CAPUT TERTIUM.

De extensione obiecti fidei, seu de explicabilitate obiecti fidei.

1. De explicito et implicito.
2. De fide ut est indivisa in primis credibilibus et in symbolis. II—II. 1. 9.
3. De distinctione fidei in articulos et in dogmata. II—II. 1. 6.
4. De incremento fidei seu de evolutione dogmatum. II—II. 1. 7.

QUAESTIO SECUNDA

DE ACTU FIDEI.

1. Quid sit credere et ad quae se extendat ex necessitate. II—II. 2.
2. De analysi actus fidei:
   a) Notio analysis.
   b) Analysis logica.
   c) Analysis psychologica (genetica).
   d) Analysis ontologica.
   e) Obiectum fidei quoad ambiens reduci potest ad principia naturaliter cognita.
   f) Obiectum materiale fidei non sec. totam extensionem resolvitur in principia supernaturalia.
   g) Obiectum fidei, ex parte rationis formalis cognoscendi, est supernaturale quoad rem, i. e. virtutem movendi habet ex auctoritate Dei supernaturali concrete sumpta.
   h) Obiectum fidei sec. rationem boni materialiter movet sec. motiva credenditatis naturalia, sed formaliter nonnisi sec. motiva supernaturalia.

QUAESTIO TERTIA.

De virtute fidei.

1. Definitio fidei ex Concilio Vaticano. II—II. 34. 5—6; II—II. 6.
2. Definitio fidei sec. S. Paulum ad Hebr. 11. 1; II—II. 4. 1.
3. Conceptus erronei de fide
   a) Protestantismus.
   b) Rationalismus Biblicus seu Philosophicus.
   c) Modernismus.
4. De subiecto fidei. II—II. 4. 2.
5. De fide informi et formata. II—II. 3. 3—4.

QUAESTIO QUARTA.

De relatione inter fidem et scientiam.

1. Ratio hum. externam fidei credibilitatem et credenditatem demonstrative probare potest.
2. Ratio hum. mysteria late et improprie sumpta ex se demonstrare potest.
3. Ratio hum. mysteria late et proprie sumpta post revelationem demonstrare potest.
4. Ratio hum. mysteria in sensu stricto nec post revelationem demonstarare valet, ostendere tamen potest, ea non esse impossibilia.

SECUNDA PARS.

Apologetica Critica.

De organis revelationis divinae, seu demonstratio facti revelationis.

LIBER PRIMUS.

Horistica generalis.

De organo coniuncto revelationis

seu

Defensio divinae Domini nostri Jesr Christi missionis, qui est principale obiectum et consummator revelationis.

Introductio.

De oeconomia salutis generis humani.

TRACTATUS PRIMUS.

De organis revelationis divinae.

1. De organis, seu instrumentis revelationis in generali.
2. Quomodo intelligenda sit immediata Dei locutio in revelatione?
3. De subordinatione organorum revelationis ad Deum.
4. De ordinatione organorum revelationis inter se:
   a) obiective
   b) sec. auctoritatem.

TRACTATUS SECUNDUS.

De organis revelationis.

CAPUT PRIMUM.

De fontibus demonstrationis existentiae revelationis.

1. Historia comparata religionum.
2. Libri Antiqui et Novi Testamenti probati quoad authenticitatem.
3. Justificatio organorum animatorum (Prophetarum) revelationis.

CAPUT SECUNDUM.

De formis concretis religionis revelatae.

I. Formae intentionales:
   1. Referentes vestigia revelationis.
   2. Religio Patriarchalis.
   3. Religio Mosaica.

II. Forma perfecta religionis revelatae, seu de religione a Christo Domino instituta.

   1. Justificatio Auctoris Christianismi sec. se
      a) quoad existentiam
         א) idealem in religionibus naturalibus et in libris. A et N. Testamenti.
         ב) realem
            α) in fontibus profanis,
            β) in fontibus sacris et ecclesiasticis,
      b) quoad personam ut a Deo missam
         α) ex testimoniis Christi de sua Messianitate et Filiatione Div.
         β) ex doctrina Ipsius.

   2. Justificatio Christi ex opere ab Ipso instituto, seu de Christinanismo in Ecclesia catholica formam perfectam et permanentem habente.

TRACTATUS TERTIUS.

De motivis credibilitatis in Christum.

CAPUT PRIMUM.

De motivis desumptis ex persona Christi prout demonstrant aptitudinem eius ad docendum.

1. Sapientia Christi probat summam eius docendi aptitudinem.
2. Sanctitas Christi commendat Ipsum tanquam doctorem a Deo missum.

CAPUT SECUNDUM.

De motivis ex doctrina Christi desumptis.

QUAESTIO PRIMA.

De motivis intrinsecis, quibus doctrina Christi commendatur

1. Ex comparatione ad naturam humanam:
   a) prout correspondet aspirationibus naturae hum. easque in summo gradu implet,
   b) ex eo, quod semina virtutum sec. doctrinam et auxilium a Christo promissum perfecte evolvi possunt et hominem cum Deo coniungere valent.
2. Prout desumuntur ex sublimitate doctrinae
   a) in se consideratae prout veritates naturaliter cognoscibiles per veritates supernaturales mirabili modo complentur, quin ipsis opponantur;
   b) quoad modalitates doctrinae:
      α) in modo proponendi,
      β) quoad originem divinam seu sec. independentiam a fontibus humanis.

QUAESTIO SECUNDA.

De motivis extrinsecis, quibus doctrina Christi eiusque missio divina probatur.

1. Ex miraculis ordinis moralis, desumptis ex admirabili vita Ecclesiae
   a) ex propagatione eius miraculosa;
   b) ex interno eius valore
      α) quoad unitatem
      β) quoad sanctitatem obiectivam et formalem.
2. Ex miraculis ordinis physici
   a) a Christo, ab Apostolis et in Ecclesia patratis
   b) ex prophetiis
      α) Antiqui Testamenti, quae in Christo impletae sunt,
      β) ex prophetiis Christi
      γ) ex prophetiis, quae in sua Ecclesia continuo fiunt.

TRACTATUS QUARTUS.

Defensio Christianismi ex comparatione cum aliis religionibus ad universalitatem tendentibus.

1. De Buddhismo.
2. De Mahometanismo.
3. De Judaismo.

LIBER SECUNDUS.

Horistica specialis.

Iustificatio revelationis per Jesum Christum factae prout in Ecclesia Catholica custoditur, integre conservatur et infallibiliter proponitur,

seu

De continuatione operis Christis in Ecclesia catholica.

Introductio.

De relatione Christi ad corpus suum mysticum.

TRACTATUS PRIMUS.

De essentia et constitutione Ecclesiae.

QUAESTIO PRIMA.

De efformatione conceptus Ecclesiae.

1. Origo etymologica.
2. Determinatio desumpta ex ratione cultus.
3. Formae intentionales et forma perfecta Ecclesiae.
4. Principium determinans esse et notionem Ecclesiae: ritus christianae vitae vel Crucis.

QUAESTIO SECUNDA.

De origine Ecclesiae.

1. Christus immediate instituit Ecclesiam.
2. De stadiis Ecclesiae conditae usque ad mortem Apostolorum.
3. De stadiis Ecclesiae decursu temporum sequentium.

QUAESTIO TERTIA.

De fine Ecclesiae.

1. Assecutio finis proximi, qui est continuatio operis Christi, sc. sanctificatio hominis.
2. Assecutio finium secundariorum ex eo, quod Ecclesia est societas convivens cum aliis societatibus.

QUAESTIO QUARTA.

De constitutione Ecclesiae.

1. Christus Ecclesiam, ut hierarchice constitutam, instituit.
   a) Notio hierarchiae.
   b) Errores circa hanc materiam.
   c) Defensio existentiae hierarchiae et graduum hierarchicorum.
2. Ecclesia Christi est societas monarchica.
   a) Formae regiminis earumque diversa applicatio ad Ecclesiam.
   b) Defensio constitutionis hierarchicae.
3. De Primatu S. Petri et successorum eius.
   a) Notio primatus.
   b) Errores circa primatum in Ecclesia.
   c) S.Petrus obtinuit a Christo primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam.
   d) Primatus Petri transit in suos successores in Sede Romana.

TRACTATUS SECUNDUS.

De proprietatibus Ecclesiae.

Introductio

De notione et divisione proprietatum.

QUAESTIO PRIMA.

De dotibus seu de proprietatibus Ecclesiae in sensu lato.

1. De visibilitate Ecclesiae.
2. Ecclesia Christi est societas perfecta et ubique legalis.
3. De infallibilitate Ecclesiae.
4. De perpetuitate et indefectibilitate Ecclesiae.
5. Ecclesia est societas necessaria.

QUAESTIO SECUNDA.

De notis seu de proprietatibus Ecclesiae in sensu strieto.

1. De unitate Ecclesiae.
2. De sanctitate Ecclesiae
   a) obiectiva,
   b) formali.
3. De catholicitate Ecclesiae.
4. De nota apostolicitatis.

TRACTATUS TERTIUS.

De Ecclesia Romana.

Defensio Ecclesiae Romanae contra schismaticos et haereticos per ostensionem, quod in ea, eaque sola, inveniuntur ea, quae
a) ad essentiam,
b) ad proprietates Ecclesiae pertinent.

TRACTATUS QUARTUS.

De potestate Ecclesiae.

QUAESTIO PRIMA.

De magisterio Ecclesiae.

1. Christus ad custodiendam revelationem instituit magisterium vivum et permanens.
2. Magisterium Ecclesiae ordinarium et firmans per sollemne iudicium
   a) per locutionem ex cathedra Romani Pontificis,
   b) per decisiones Conciliorum oecumenicorum a Romano Pontifice confirmatorum.
3. De obiecto infallibilitatis Ecclesiae
   a) primario,
   b) secundario.

QUAESTIO SECUNDA.

De potestate legislativa et gubernativa Ecclesiae.

1. Christus contulit Ecclesiae suae potestatem regiminis independentem ab omni auctoritate saeculari:
   a) quoad leges ferendas necessarias in ordine ad salutem hominum,
   b) quoad coactionem, ad removenda impedimenta caritatis, coniungentis cum Deo et proximo.
2. Subiectum potestatis regiminis est Romanus Pontifex, habens iurisdictionem in universam Ecclesiam, a quo omnis potestas in organa subordinata descendit.

TRACTATUS QUINTUS.

De relatione inter Ecclesiam et statum civilem.

1. Modi possibiles determinationis relationis inter Ecclesiam et statum.
2. Ecclesia in prosecutione finis sui intrinseci nulli potestati temporali subordinatur.
3. Ecclesia in prosecutione finium cum suo esse humano connexorum ex se est independens a statu, sec. tamen rationes prudentiales in concordia cum ipso procedere debet.
4. Ecclesia a statu non est separanda, nisi rationes prudentiales contrarium suadeant.
5. Status Ecclesiae indirecte subordinatur, cuius subordinationis modi et rationes in diversis circumstantiis prudentialiter ordinandae sunt.

INDEX RERUM.

NB.! Pro conceptibus in hoc libro enucleatis cf. etiam Indices Hitv., Örök., et Heilig. sicut et alia opera auctoris. Numeri designant paginam. Intra singula verba non tam ordinem alphabeticum, sed magis connexiones reales observavimus.

Actio Dei 73.
Absconditum, in medio naturali non contentum 48; 76.
Abstractio 9; 11;
  gradus eius 13.
Ambiens 9; 22; 23; 83; 87; 88; 91; 98; 108; 116; 180.
Apologetica 7; 18; 19; 21; 25; 26; 30.
  finis eius 17; 18; 22; 24; 91; 195.
  nomina 18; 21; 25; 37.
  analytica 17; 19; 32.
  synthetica 17; 18; 32.
  vulgaris 21.
  scientifica 21.
  obiecta 23; 25; 30.
  relatio ad fontes revelationis 144.
  relatio ad ambiens 19; 20; 22; 26; 27; 91; 108; 144.
  relatio ad Theologiam 18; 19; 20; 24; 196.
  relatio ad scientias profanas 196.
  methodus eius 182.
  definitiones Ecclesiae in Apol. 183.
Appetitus 63.
  divisio 64.
  beatitudinis 53.
  ordinis supernaturalis 41; 53; 54; 65.
Argumentum 130.
Artificiale 69. V. unitas artificialis.
Assistentia 103; 104; 156.
Auctoritas 11; 12; 16; 58; 91; 101; 105; 106; 116; 130; 144.
  materialiter et formaliter 107.
  iustificatio eius 105; 106; 130.
  Dei naturalis et supernaturalis 107; 132.
  abstracta et concreta 16; 109; 131; 132.
  Ecclesiae 117; 133.
Axiologia 20; 21; 27; 37; 137; 138.
  generalis 20; 27; 37.
  specialis 20; 27; 37; 92.
  obiecta 92.

Causa 159; 160; 161.
Christus, existentia 165; 177.
  centrum A. Test. 141.
  obiectum principale revelationis 18; 26; 54; 95.
  caput Ecclesiae 178.
  auctoritas 143.
  persona 165; 172.
  doctrina 172.
  originalitas 172.
  testimonium de seipso 143.
  motiva credibilitatis 165; 172.
  defensio 142; 172.
Cognitio in ambiente 98.
Conceptus analytici et synthetici 12.[1]
Convenientia 182.[1]
Copula 7; 14; 45; 60; 91; 92; 97; 98; 99.
Credenditas 82.
Credere 122.
Credibilitas
  motiva eius 56; 81.
Cultus, latriae 43[2]; 184.
  sec ritum christianae vitae 26; 177; 178; 185.

Demonstratio indirecta 23; 180.
Depositum fidei 16.
Desiderium, v. appetitus.
Disciplinae theologicae quoad finalitatem 25.
Doctrina 167.
  religiosa 167.
  probatio 168.
Dogma 120; 136.
  obiectum fidei 113.

Ecclesia 30; 184.
  efformatio conceptus 184.
  origo eius 178; 179.
  mysterium 78.
  finis 189.
  societas 187; 188.
  una ex iure naturae 184.
  partes eius 178; 185; 187.

potestas 194.
constitutio hierarchica 190.
Elevatio 67; 89.
Ens, prioritas eius 127.
commune 8; 9; 11; 108; 129.
forma cognoscibilium 7; 128; 129.
in quidditate sensibili 9; 11; 13; 28; 108; 128.
participatum 11; 12; 50; 99.
principium cognoscendi universale 10; 12; 32.
virtualitas 12; 129.
contractio 10.
Eschatologismus 173.
Essentia indivisibilis 186.
Esse, physicum 8[1].
obiectivum 8[1]; 50; 125; 129.
conformabile 34; 125.
Evidentia 79.
attestationis 85.
auctoritatis 11; 16; 83.
credibilitatis 83.
mysteriorum 80.
propositionis 83.
Evolutio dogmatum, v. incrementum fidei.
religionum 41.

Fides 105; 106; 122.
actus 120; 122.
analysis 121.
catholica 117.
divina 117.
distinctio a prophetia 97.
harmonia cum scientia 28; 116.
incrementum 118.
ex auditu 115; 133.
obsequium rationabile 29; 115; 129; 145.
obiectivatio *a)* in ambiente 115; 116.
b) in Veritate I. 108; 115; 120; 131.
c) in affectu 121; 134.
obiectum, *a)* non visum 97; 118; *b)* in auctoritate firmatum 106.
obiectum materiale 110.
obiectum formale 115; 120; 131.
proprietates 114; 117.
propositio Ecclesiae 117; 133.

Hierarchia 190.
Horistica 20; 27; 140; 144.

Idololatria 43[1].
Immanentismus 134; 135.
Innaturale 68.
Inspiratio 92.
divisio 93.
hagiographica 97; 101.
kerygmatica 101.
Instinctus 63; 68.
religiosus 64; 135.
Instrumentum 148; 161; 162.
influxus naturae instrumentalis in obiectivationem mysteriorum 44; 47; 48; 51; 52; 55; 75; 90; 100; 111.
assumptio eius 152.
usus eius 147.
Intellectus, facultas passiva 52; 126.
elevabilitas 49; 55; 127.
sec. esse genericum et specificum 50.
informis sine Veritate I. 67; 140.
Iudicium 8; 94; 99.

Kant 126; 139.

Lex potentiae et actus 44; 68; 69.
Liberalismus 87; 134[1].
Locutio Dei, v. revelatio.
Lumen 87; 127.
obiectivum 75; 88; 89; 128.
subiectivum 88; 89; 127.
abstractivum 49; 128.
divinum 90; 97; 99.
gloriae 89.
fidei 89; 91; 130.
naturale 89.
praeternaturale 90.
propheticum 89; 90; 96; 99.
supernaturale 89; 90.

Magisterium Ecclesiae 117.
Martyrium 171.
Medium cognoscendi 49; 87.
quo, ex quo, in quo 52; 87; 92.
obiectivum 45; 50; 87.
subiectivum 87.
auctoritas ut 91.
Metaphysica 14; 21; 24; 37.
Miraculum 59.
divisio 59; 74.
Modernismus 63; 109; 134; 135.
Motio quoad exercitium, quoad specificationem 161[1].
Motivum credibilitatis 28; 56; 81; 91.
necessitas 115.
virtualitas 116.
divisio 58.
credenditatis 82.
Mysterium 48; 76.
evidentia 80.
gradus 48.
ex ordinatione 75; 79; 83; 96.
relatio ad naturam 77; 116; 123.
supernaturalitas 74; 77.

Natura 68.
lapsa 41; 66; 142.
pura 41; 66.

Naturale 66; 68.
Naturalismus 22; 166; 172; 174.

Obiectivatio 8[1]; 13; 34; 103; 124.
mysteriorum 77.
revelatorum 52; 98; 108; 109; 124; 130; 155.
Obiectum 34.
materiale 7; 8; 34; 110; 124.
origo 10; 11.
formale 7; 34; 124; 128; 129.
intellectus 34.
praesentatio supernaturalis 90.
proportionatum, adaequatum 89.
Ordo naturalis 45; 68.
supernaturalis 45 v. supernaturale.
existentia eius 44.
synthesis 10[1].
Organum 146.
revelationis 28; 146.
animatum 28; 101; 143.
inanimatum 28; 101; 143; 164.
influxus Dei 90; 94.
iustificatio 143.
subordinatio 158.
Philosophia religionis 40.
Pius credulitatis affectus 65.
Possibile 26; 46; 49; 70.
Potentia et actus 44; 68; 70.
Praeambula fidei 28.
Praeternaturale 68; 89; 90.
Principium cognoscendi 8; 34; 99.
unificans 7; 12[1].
Prioritas, entis 127.
causalitatis et temporis 162[1].
Prophetia 59; 94; 96.
divisio 100.
differentia a fide 97.
obiectum 95; 96; 100.
ratio formalis 98.
purgatio prophetarum 154.

Ratio cognoscendi 128.
formalis 128.
materialis 9; 128.
Rationalismus 109; 133.
biblicus 134.
immanentisticus 134.
Rationes aeternae 28; 56; 90; 92; 96; 98; 116.
Religio 39.
formae intentionales 164; 185.
forma perfecta 165; 185.
naturalis 41; 42; 63.
supernaturalis 43.
scientiae de — 40.
Revelatio 30; 80.
possibilis 53; 55.
existentia 163; 164; 165.
actualis 140.
finis 16; 28; 53; 95; 119; 141.
obiectum 17; 27; 96; 140.
ratio ignoti 96.
valor 95.
immediata 92; 100.
mediata 92; 99.
factum 16; 28; 56; 60; 98; 116; 143.
criteria et signa 57.
necessitas 53; 54.
supernaturalitas 55.
immediata locutio Dei 94; 148.
privata et publica 94.

Salus 54; 93; 95; 102; 119; 141.
Scientia 9; synthetica, annalytica 10.
Semirationalismus 75.
Sensus Ecclesiae 103[1].
Signum 57; 64.
res significata 41; 57; 174.
revelationis 60.
Speculum aeternitatis 90; 96; 129; 155[4].
Subiectum scientiae 7; 8; 10; 17; 18; 34; 137; 195.
analyticae 11; 34.
syntheticae 10; 11; 34.
constructio eius 10; 13.
praesupponitur 10; 22; 23; 25.
universalitas 195.
relatio ad obiecta 17.
determinat obiecta materialia 10.
forma cognitionis 9.
unificat obiecta 9; 11; 12[1]; 14; 17.
principium ordinativum 18; 198.
bonum scientiae 198.
iustificatio eius est finis scientiae 10; 17; 20; 24; 26.
mathematicae 14.
philosophiae naturalis 14.
Subiectum Theologiae 15; 16; 18; 26; 32; 196.
desumitur 15; 17; 21; 27; 53; 56; 105.
quid repraesentat 27.
praestat connexiones firmissimas 12[1]
virtualitas 22; 32; 197.
iustificatio eius 24; 26; 28.
ex religione 43.
quoad supernaturalitatem 46; 49.
ex medio cognoscendi 51.
ex motivis credibilitatis 59; 91.
ex possibilitate medii supernaturalis 91.
ex possibilitate revelationis immediatae 100.
ex possibilitate inspirationis 102.
ex assistentia 104.
ex possibilitate fidei 109; 120.
ex iustificatione Christi 142; 143; 170.
ex institutione Ecclesiae per Christum 193.

Sublime 170.
Sublimitas doctrinae 60; 168; 169; 170; 171.
Supernaturale 44; 45; 70; 75.
absolutum, comparatum 46.
divisio et gradus 47; 71.
per participationem 46.
ex ordinatione 96.
modus cognoscendi 44; 137.
possibile 49; 50.
existentia 45.
in revelatione 55.
systemata negantia 52.
Syncretismus 173.
Theodicaea 40.
Theologia 23.
obiectum 17.
finalitas singularum disciplinarum 25.
Traditio 101.
Unitas artificialis 8; 9; 10; 146.
naturalis 8.
Veritas materialis fidei 116; 117.
ontologica 9; 34.
Voluntarismus 64[2].

Opera P. Alexandri M. Horváth O. P.:

I.

1. A fizikai és pszichikai világ egymásrahatása. 116 old. Budapest, 1914.
2. A haza és hazaszeretet bölcseleti alapjai. 24 old. Székfoglaló a Szent István-Akadémiában. Budapest, 1922.
3. Aquinói Szent Tamás világnézete. 232 old. Szent István Könyvek. 21. sz. Budapest, 1924.
4. Ismereteink egyneműsége és a hittételek. 88 old. Budapest, 1925.
5. Krisztus királysága. 272 old. Budapest, 1926.
6. Katolikus közélet. 54 old. Budapest, 1928.
7. A természetjog rendező szerepe. 86 old. Budapest, 1941.
8. Társadalmi alakulások és a természetjog. 40 old. Budapest, 1942.
9. A házasság és jövőnk. 16 old. Budapest, 1943.
10. Hitvédelmi tanulmányok. 284 old. Budapest, 1943.
11. Örök eszmék és eszmei magvak Szent Tamásnál. 446 old. Budapest, 1944.
12. A bűnszenny lélektani meghatározása. 28 old. Budapest, 1944.
13. Mulier amicta sole. Szűz Mária Krisztus fényében. Budapest, 1948. (Sajtó alatt. Kb. 100 old.)

II.

1. Metaphysik der Relationen. XVI + 204. Graz. 1914.
2. Eigentumsrecht nach dem hl. Thomas von Aquin. VIII+240. Graz, 1929.
3. Der thomistische Gottesbegriff. 184. Freiburg i. d. Schweiz, 1941.
4. Heiligkeit und Sünde im Lichte der thomistischen Theologie. XII+384. Freiburg i. d. Schw., 1943.
5. Albert der Grosse und der hl. Thomas von Aquin, als Begründer der christlichen Philosophie. 1916. Divus Thomas. III. J. 4. H. S. 591—636.
6. Die Grundfesten des Thomismus. 1915. Divus Thomas. II. J. 3. H. S. 261—308.
7. Die Summa Theologica des hl. Thomas von Aquin als Textbuch. 1915. Divus Thomas. II. J. 2. H. S. 173—195.
8. Kampf um den hl. Thomas. 1917. Divus Thomas. III. J. 4. H. S. 186—243.
9. Die Mäszigung in der Tugendlehre des hl. Thomas von Aquin. 1917. Katholische Kirchenzeitung. (Salzburg.) N. 12—14. Jahrg. 57.
10. Prinzipielles zur Abstinenzbewegung. 1917. Katholische Schulblätter. (Linz.) N. 1—2.
11. Thomistische Synthese und wissenschaftliche Apologetik. Artikelreihe im Divus Thomas (Freiburg Schw.) 1946—47.

III.

1. Influxus Christi in evolutionem imaginis Dei. Romae: Angelicum 1929. 125—142.
2. De virtute religionis. 170. pp. Roma, 1929.
3. De moralitate. 88. pp. Roma, 1930.
4. De voluntate humana. 112 + 24. Roma, 1930.
5. La sintesi scientifica di S. Tommaso d'Aquino. XVI + 562. Torino, 1932.
6. Synthesis Theologiae Fundamentalis. Budapest, 1948. 242. pp.